



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Libri Secvndi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

63
HORATII TVRSELLINI

E SOCIETATE IESV
LAURETANAE HISTORIAE
LIBER SECVNDVS.

PAVLVS II. PESTILENTIÆ EXEM-
*ptus Lauretanam Aedem decretis ornatam
novo templo decorare molitur.*

Cap. I.



ELEBRIS, inclytæque iam hinc
toto fermè orbe Christiano Aedis
Lauretanæ miracula, atque orna-
menta exsequar, quorum fama om-
nium iam aures, animosque comple-
uit. Post Pij Pontificis decessum.
Cardinales Pium Anconam profecu-
ti, Romam ad comitia Pontificia iter intendunt. Atrox
per id tempus ex tanta hominum colluione, vt fieri so-
let, Anconæ orta pestilentia erat, quæ intolerabili æstu
per autumnum humana corpora mouente, per vulgaria
primum capita vagari cœpit. Inde nobilitatem quoque
primoresque corripuit. Ergo præsentis periculi terror pro-
fectionem Patrum, aut fugam potius maturauit, & si quen-
dam eorum ne fuga quidem eripuit morbo, Lauretanæ
gloriæ materiam futurum. Petrus erat Barbus Cardina-
lis S. Marci, ætate, prudentia, ac rerum vsu inter cæteros
eminens. hic pestilentia tactus, æstuarè animo cœpit, cū
foeda impendentis mortis facies oculis obuersaretur. Sed

Pius

Hier. Ang.

Card. s. Mar
ci pestilen-
tia liberatur
in Aede Lau-
ret.

Pius II. Pontifex Lauretanæ opis recens erat documentum. Itaque valetudinis Pio diuinitus reedita memor deferri se confestim ad templum Lauretanum iubet. Quò ut ventum est, eiectis arbitris, in Deiparæ cellam infertur, ibi venerabundus procumbere humi, omnem in B. Virgine secundum Deum suæ curationis spem reponere: vrgentis morbi, mortisque impendentis remedium exposcere: Rempublicam Pontifice orbam Deo, ac B. Virgini impensius commendare. Nec frustra, precibus insistenti lenis quidam, ac dulcis somnus obrepfit. Fama est illi in quiete Deiparam Virginem cælesti quadam specie oblatam, quæ bonum habere animum iusso, auditas eius preces nunciaret: mox discussum iri morbum: insuper ipsum propediem Dei nutu Pontificem Maximum futurum. Haud vanum fuisse vilum docuit euentus. Extemplo cum somno morbus abiit: ipse voti compos, animi, corporisque vigorem omnium spe maturius recuperavit. Igitur admodum lætus multiplex Dei, Deiparæque beneficium agnoscit: & gratijs vtrique impense actis, sospes ac vegetus exit è sacrosancto sacello, cunctis qui eius morbi conscij erant, attonitis, & ingenti admiratione defixis. At ille B. Mariæ promisso ad summi sacerdotij spem erectus, & simul accepti beneficij satis memor, Lauretanæ Aedis Præsidem protinus accersi iubet. Huic propalam enunciat, sibi esse in animo magnificentissimum S. Mariæ Lauretanæ templum condere. Proinde primo quoque tempore calcis, cæmentorū, materiæ, quod satis sit, comparet suo nomine, sumptuque. Inde Romam ad comitia profectus, Pontifex creatur, Pauli Secundi inditum nomen. Vix dum Pontificatu inito, haud immemor cuius ope, & valetudinem, & summum illud fastigium adeptus esset, Lauretanum templum moliri instituit. Ac præfagiente iam animo futurâ olim amplitudinem eius loci, veteri templo disturbato, ingestem circa aream insanis occupat fundamentis. Inde opus cœptum strenue ædificare pergit. Bonam templi
Lau-

Paul. II. tē-
plum Aedi
Laur circū-
dat.

Lauretani partem à Paulo II. exstructam esse, fidem facit Baptista Mantuanus. Apud quem in Agelariorum carmine, Antonium Principem virum præter Piceni orā nauigantem, sic gubernator nauis affatur:

Bapt. Mant.
lib. 6.

Quod cernis Picentia iuxta

Littora, delubrum est illud venerabile Magnæ

Matris, ab Assyrijs, quod Dii super aquora quondam

Huc manibus vexere suis.

Et paulopost:

Laureta delubra vocant; neu crede superbam

Hanc, adem venisse fretis; superaddidit ista

Templa sacerdotum Princeps ingentia Paulus.

Ex quo profectò coniectari licet, Lauretanum templum ab eo pene ad fastigium esse perductum. Inter hæc, dum templum summa ope exstruitur, Pontifex non ædificijs solum, sed litteris quoque, ac muneribus Pontificijs Deiparæ Domum adornauit. Nam visentibus Aedem Lauretanam diebus omnibus B. Mariæ sacris, ac præterea Dominicis diebus, peccatorum omnium veniam indulgit. Pretium operæ visum est caput litterarum inferere, vt extet egregium summi Pontificis de eximia Lauretanæ Domus sanctitate testimonium, idemque recuperatæ ab eo diuinitus valetudinis monumentum. Pauca igitur, veteri Rom. Pontificum more præfatus, ita scribit. *Quamuis pro magnitudine gratiarum, quas diuina Maiestas ad intercessionem gloriosa Virginis Mariæ filij eius genitricis, fidelibus ad eam pia vota dirigentibus quotidie facit: sanctæque Ecclesiæ in honorem nominis sui dedicata sint summa deuotione venerande; id tamen erga illas propensius est agendum, in quibus Altissimus ad intercessionem eiusdem Virginis, maiora, & euidentiora miracula frequentius operatur. Manifestat autem rei experientia ad Ecclesiam S. Mariæ de Laureto Recanatenfis Diœcesis, ubi est imago B. Virginis Mariæ, ob magna, stupenda, & infinita miracula, qua ibidem eiusdem Alme Virginis opera apparent,* ET NOS IN PERSONA NO-

Pauli II. Indulg.

Pauli II. testimonium.

Pauli II. be-
neficia.

Aedes Lau-
ret. exépra.

Pauli II. te-
stimon. al-
terum.

STRA EXPERTI SVMVS, ex diuersis mundi partibus confluere, & quæ sequuntur. Indulgentijs porrò singulares immunitates adiecit. Quippe Lauretanam Aedem vna cum ministris, cæterisque rebus ad eam pertinentibus ab Recinetensis Episcopi iurisdictione exemptam in suam, sedisque Apostolicæ, & Apostolorum Petri & Pauli tutelam recepit: Sacerdotibus Lauretanis absoluedi peregrinos à sceleribus ac flagitijs Episcopo, Sedique Apostolicæ referuatis satis amplam dedit facultatem. Posterioris quoque huius decreti procemium, in quo perhonorifica fit mentio Lauretanæ Domus, libet apponere, id est tale: Cum ad Ecclesiam B. Mariae de Laureto extra muros Recanatenfis ciuitatis fundatam, in qua sicut fide dignorum habet asertio, ipsius Virginis gloriosæ Domus, & Imago Angelico comitatu, & catu mira Dei clementia collocata existit, & ad quam propter crebra, ac stupenda miracula, quæ eiusdem gloriosæ Virginis meritis, & intercessione pro singulis ad eam recurrentibus, & eius auxilium implorantibus cum humilitate, Altissimus operatur, in dies, & in diuersis mundi partibus etiam remotissimis eiusdem Virginis gloriosæ liberati præsidijs populi consuât multitudo: & cætera quæ sequuntur.

Iacobus Franciscanus ab insanabili morbo, & Daemonum oppugnatione liberatur.

Cap. II.

Chro. Franc.
lib. 6. c. 3. &
4.

P Roduntur autem quædam huius temporis non omit-
tenda miracula. Iacobus Picens vir sanctus è Fran-
ciscana disciplina, pariter pietate, ac doctrina clarus Euā-
gelii præco fuit anno eius seculi circiter LXX. Hunc in-
sanabilis morbus inuaserat, & animum ægritudo corpo-
ris vrgebat: quippe ea mali vis erat, vt omnem iuuandi
sacris concionibus homines spem præcideret. Ergo hu-
mani remedii inops ad Deum Deiparamque animum, ac

vota

vota vertit. Mox quamuis afflicta valetudine, Lauretum peregrinatorum ritu venit. Virginis cellam ingressus inter sacrificandum, cœli Reginam enixe obortis lacrymis orat, vt Iesu filio propitiato, impetret sibi corporis sanitatem; quæ sanctum eius Euangelium prædicando, multis fortasse populis saluti foret. Nec mora. oblata illi protinus est Deiparæ species iubentis eum alia ab se petere: Nam quod peteret, esse iam datum. & Iacobus illico salutem sibi redditâ sentit. Itaque gratiis B. Virgini actis, non tam suam, quam eorum, quorum saluti studebat vicem lætus, remeat domum. Nec vna hac in re B. Mariæ Lauretanæ is expertus est opem. Interiectis aliquot annis, ab importunis diabolis diu, multûque vexatus Lauretum certissimum malorum leuamentum, accurrit. Ante aram Virginis non sine animi angore, sacris operatus, expertum eius auxilium exposcit: finemque tandem orat tam molesto periculoque certamini. Auditæ preces. Impensius oranti B. Maria se rursus ostendit. Et bono animo esto fili, inquit, ac lummo rerum parenti grates agito. Adest pugnæ finis, & te cœlestis corona victorem manet. Prædictionem comprobauit euentus. Haud ita multo post fractæ infestorum hostium vires: Læta repente secuta pax: ipse deinde cœlesti præmio donandus euocatus in cælum.

*A Xysto Quarto Pont. vetera decreta cumulantur
nouis. Cap. III.*

NEc Paulo Secundo Xystus Quartus Pauli successor Hier. Ang. Bern. Cyril. studio ornandæ Lauretanæ Virginis cessit. Nam & veteribus Indulgentiis addidit nouas, & Pauli immunitates sua autoritate firmatas, adiecta immunitate decumarum, auctisque Lauretanis sacerdotibus facultate dispensandi vota, cumulauit. Donationem insuper Nico-

lai Astii Episcopi Recinetensis (de qua ante diximus) auctoritate Apostolica lanxit anno eius seculi circiter lxxv. qui Iubilaei celebritate insignis fuit. Egregium porro suum erga B. Virginem Lauretanam studium, pietatemque in cuiusdam diplomatis sui prooemio testatum reliquit his verbis: *Cupientes, ut ipsa Ecclesia Lauretana, ad quam specialem gerimus deuotionis affectum, congruis honoribus frequenteretur: & ut fideles populi libentius, eo deuotionis causa confluant, confirmamus: & quae sequuntur.* Nec nihil vel ad Xysti laudem, vel ad Lauretanæ Domus auctoritatem, facit, quod idem Pontifex, cum Carmelitani certissimis argumentis fidem ei fecissent, sacra omnia Palestinae loca (atque in his ipsum domicilium Virginis) priusquam Saracænorum armis occuparentur, Carmelitanae familiae credita & commissa fuisse; hoc ipsum litteris Apostolicis in eorum gratiam scriptis testatus est. Quae causa fuit cur deinde Carmelitanis sacrosanctæ Domus sit procuratio reddita, ut dicturi sumus in loco. Ad hæc Xystus Hieronymo Robureo sororis filio Cardinali cum Episcopatu Recinetensi tutelam permisit Aedis Lauretanæ, haud paruo ipsius Aedis bono. Quippe & auunculi instinctu, & sua voluntate templum à Paulo inchoatum exædificauit: eiusque cultum sacra suppellectili, lectissimis Sacerdotibus, Cantoribusque adauxit.

Hiero. Robur. Card. patronus Lau. Aedis.

Ingens Turcarum manus Lauretanæ opulentiae imminens diuinitus fugatur.

Cap. I V.

SVb idē tempus ingens procella exorta, & opulentiam & religionem Lauretanæ Aedis ostendit. Mahometes Turcarum Imperator Rhodo Insula nequicquam oppugnata, vnum ē suis Ducibus cum classe in Italiam destinavit. Is igitur anno eius seculi circiter LXX. ex improviso

Hier. Ang.

prouiso Hydruntum oppidum nobile in Salentinis, velut
 claustra Italiae occupauit. Exin finitima circum loca po-
 pulatus, ceterae orae maritimae Adriatici sinus imminebat.
 Ergo Recinerenses, & si impendentis periculi fama con-
 territi; tamen immemores patriae Lauretanam Domum
 summis opibus propugnare statuerunt. Valido igitur praes-
 idio imposito, excubias agitabant dies noctesque. Ac ne
 barbaros opulentae praedae spes ad Lauretanam Aedem
 oppugnandam alliceret; Lauretana dona praecipua in tu-
 tum recipi placuit. Mox deprompta, ac de more relata,
 in tabulas, à certis hominibus Recinetum deferuntur, &
 in arce conduntur. Satis constat ea dona tum sex ferme
 aureorum millibus aestimata. Inter caetera Laurentij Me-
 dicei (is Petri filius, Magni Cosmi nepos fuit) statua ar-
 gentea, quae nixa genibus altitudinem excedebat cubita-
 lem. Compendiaria fortasse simulacri eius inscriptio (in
 qua erat Laurentius P. F. Medices) Angelitam decepit,
 ut Laurentium per Franciscum interpretaretur, quod si-
 gnificabat Petri filium. Credo equidem Laurentium cum
 Xysti Pontificis, sociorumque armis premeretur adeo, ut
 ad ipsum Ferdinandum Neapolitanum Regem, acerbissi-
 mum hostem suum confugere cogeretur, donum eiusmodi
 vouisse: bello deinde periculoque defunctum Laure-
 tanæ Virgini, vel tulisse, vel misisse. Caeterum sapiens
 Recinetensium consilium, subductumque periculo sacrum
 aurum, argentumque haud quaquam barbaros à conando
 scelere auertit. Turcae populabundi ad Castrum Portus
 Recinetensis classe delati, omissa minorum praedarum cu-
 ra, ad Lauretanam praedam, quam opulentissimam scie-
 bant esse, asportatam alio nesciebant, iter intendunt. Tue-
 bantur Lauretanam Aedem, ut diximus, Recinerenses, le-
 ue aduersus Barbarorum exercitum insolentem victoria
 praesidium, nisi ipsa loci Praeses suae domui praesidio foret.
 Itaque ad sacrae Domus conspectum, ingens repente terror
 totam Turcarum peruasit aciem cunctosque è vestigio

inuitissimis animis referre coegit pedem, stupore attonitos, & Deum profecto pro illa Aede stare memorantes. Nec tamen illis sacrilegus conatus impune fuit. Superbissimus Tyrannus haud ita multo post, subita morte extinctus: Hydruntum à Christianis receptum: Turcæ Italia pulsi. Cæterum id ipsum periculum Cardinalem Robureum Laureti Patronum admonuit, vt Lauretanum templum destinatis propugnaculis primo quoque tempore communiret. Ex eo templum ipsum in arcis modum impense muniri cœptum aduersus repentinos hostium incurfus.

Ab Innocentio VIII. donis colitur. Carmelitanorum curæ committitur.

Cap. V.

Cod. Laur.

Cap. Manr.

Xysto sublectus Innocentius Octauus, cuius Pontificatus quâ vrbis, ac domesticis turbis exercitus, quâ Neapolitano implicitus bello, nullam pene facultatem, opportunitatemue habuit bene de Lauretano templo merendi. Attamen huius laudis non penitus expertus fuit. Innocentius quippe eximia pulchritudine auream bullam cum gentilitijs insignibus donum misit Lauretanę Virgini suspendendam è collo, velut suæ erga illam religionis indicium. Pontificale insuper amiculum (pluuiale appellant) ex holoserico villoso, auroque magnificis sane ac præclaris floribus pictum, & opere Phrygio prætexto, margaritisque conspicuum. Ad hæc peripetasmata intexta ex auro, sericoque. Eodem Pontifice Card. Robureus, Lauretanæ Domus pariter, & Carmelitanæ familiæ Patronus, haud parum memor Carmelitanos patres nuper certis argumentis probasse Xysto Quarto auunculo suo, sacram Domum priusquam è Galilæa discederet, Carmelitanorum commissam fuisse curæ; eosdem ex authoritate Pontificis

Pontificis Lauretano præposuit templo. Hi iam pridem à Barbaris ex Asia pulsi Europam non magis cœnobijs, quam optimis exemplis impleuerant, cæterum laxatam paulatim disciplinam nuper in Italia nouis adstrinxerant legibus. Lecti xxx. ex eorum numero maximè ad eam rē idonei. Horum ex numero Baptista Mantuanus fuit Congregationis Mantuanæ Vicarius Generalis, qui Lauretanæ Domus scripsit historiam, & Robureo Cardinali dicauit eo ipso anno, quo Lauretū venit, hoc est M. CCCC. vnde nonagesimo.

Baptista Mantuani testimonium.

Cap. V I.

Baptista igitur Mantuanus Theologus idem, ac Poeta egregius initio suæ historiæ, egregium Aedi Lauretanæ tribuit testimonium, quod ab re non erit nostræ historiæ intexere. *Cum nuper, inquit, venissem ad sacratissimæ Virginis Maria sanctum domicilium, vidiissemque qualia, & quanta Deus ostendit in eo loco miracula, & suæ virtutis, atque clementiæ signa manifestissima; me subito horror inuasit, & visus sum audire vocem Domini loquentis ad Moysen: Non appropinques huc, solue calciamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* Inde præfatus legisse se in templo Lauretano tabulam parieti affixam, situ & carie corrosam, in qua vnde, & quonam pacto locus ille tantam sibi vendicasset authoritatem, conscripta erat historia, hæc inquam præfatus adiecit. *Historia igitur in tabella continebatur eiusmodi, Templum B. Dei Genitricis Lauretanæ quondam ipsius Virginis cubiculum fuit, in quo nata, nutrita, ab Angelo Gabriele salutata, & Spiritu sancto fuit obumbrata. Cætera inde persequitur, quæ à Præposito Teremano memoriæ prodita, & in Lauretana Aede proposita diximus: vt ex Teremani tabula esse deprompta satis appareat.*

Bapt. Mant.
testimoniū.

pareat. Ad extremum augustissimæ huius Domus laudationem ingressus, eam non modo terrestri paradiso, vbi Eua ex Adæ latere efficta est: Monti Sinæo, vbi lex data: templo Salomonis præcipua numinis præsentia inclyto; Bethleemio antro, quæ cunabula fuerunt Saluatoris: Tabori Monti, vbi Christus clarissima luce circumfusus apparuit cum Mose, & Helia colloquens: Monti Oliuarum, vnde Christus triumphans ascendit in cælum; verum etiam augustissimo Christi sepulchro, quo nihil in terris sanctius habetur, longe multumque anteponit. præcipuè quod hic Deus humanitate indutus fundamenta iecerit salutis humanæ. Cuius laudationis illa est insignis sane, ac frugifera clausula. *Sed quid plura de Domus huius ineffabili dignitate commemorare pergo? libet mihi Iacob Patriarchæ sermone concludere. Terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.* Ergo à Mantuano viro celeberrimo prodita litteris est Lauretana historia, quæ ad eum diem sermonibus tantum vsurpabatur. Ex eo tempore vulgari cœpta, magno, vel Lauretanæ religionis incremento, vel mortalium bono. Namque ea, quam dico, historia breui volumine circumlata, cum auidè ac passim lætaretur; plurimorum animos ad Lauretanam Aedem visendam colendamque pellexit. Cæterum annus ille non magis Mantuani historia, quam egregio nobilissimi Principis dono insignis fuit. Quippe eodem ipso anno M. CCCC. LXXXIX. Stephanus Bathorius Transylvaniae Princeps (Vaiuodam ipsi appellant) argenteum B. Mariæ simulacrum ferè sesquicubitale, egregiè factū, pulchrèque auro interlitum Lauretanæ Virgini donum misit. Ad Virginis pedes Vaiuodæ ipsius armati effigies, item ex argento supplex visitur. Votiuum esse donum causa basi inscripta declarat.

Vaiuodæ
Transyl. D.

MAGNIF.

MAGNIF. D. COMES STEPHANVS DE BATHOR
VAIVODA TRANSILVANVS. ET SICVLORVM COMES
NECNON IVDEX CVRIÆ SERENISSIMI PRINCIPIS
D. MATTHIÆ DEI GRATIA REGIS VNGAR. BOEM. &c.

IN HONOREM DEI
ET EIVS GENITRICIS MARIÆ
OBEAM CAVSAM. QVOD IPSE PER INTERCESSIONEM
EIVSDEM VIRG. GLORIOSÆ A QVODAM MAXIMO
PERICVLO LIBERATVS FVIT.

AN. M. CCCC. LXXXVIII.

DICAVIT.

*Nobilis mulier è Gallia à septem diabolis obsessa
liberatur. Cap. VII.*

Idem porrò annus insigni miraculo memorabilis per-
hibetur. Petrus cognomento Orgentorix cuius Gra-
tionopolitanus fuit genere, atque opibus clarus. Huius
vxor Antonia nomine pari nobilitate mulier à septem te-
rerrimis diabolis obsessa tenebatur. Petrus igitur libe-
randæ coniugi intentus, cum nihil in Gallia inexpertum
reliquisset, eam adduxit in Italiam. Ac primo Mediola-
ni ad S. Iulij, inde Mutinæ ad S. Geminiani, denique Ro-
mæ ad sacram columnam solemnes exorcismi, nequicquã
adhibiti, Deo liberatæ mulieris decus Lauretanæ Virgini
referuante. Iamque Orgentorix consilij auxiliique inops
in patriam desperata re, cogitabat; cum in Rhodium,
equitem incidit sibi notum, & Lauretanæ Virginis satis
gnarum. Huius suasu, fiducia plenus venit cum vxore
Lauretum anno eius sæculi LXXXIX. Quo vt ventum
est, mulier summa vi obluctans à decem robustis viris al-
leuatur, & in sanctissimam cellam delata ante B. Mariæ
effigiem sistitur. Stephanus Francigena Canonicus Au-
ximanus,

*Bapt. Mant.
Hier. Ang.*

Energume-
na liberatur

ximanus erat tum custos sacrosancti sacelli, vir probita-
tis ac virtutis expertæ, qui vexatores diabolos exorcismis
de more vrgere cœpit. Illi iubente Stephano nomina sua
professi, exire obstinate recusabant. Sed vicit dæmonum
obstinationem constantia sacerdotis, & scilicet diuina vis.
Itaque eorum quatuor Dei numine, & Deiparæ nomine,
alius post alium exacti, ingentibus ædem clamoribus im-
pleuere. Tres erant reliqui pertinaciores cæteris. Hos
igitur Stephanus maiore vi adortus, & Mariæ nomen in-
clamans premere institit. Haud ita multo post quintus
(Heroth nomen erat) malis fessus excessit signo dato.
Stephanumque compellans ait: Maria nos eicit, non tu.
Inde sextus (cui nomen Horribilis) erumpens vocifera-
tur queribundus. Maria, Maria nimium in nos sauis. Cæ-
teris eiectis, postremus nomine Arcto ante omnes alios
pertinax lamentari magno gemitu, eiulatuque cœ-
pit. Nimis potens es Maria, vtique in hoc loco, vbi nos
ex nostra possessione exigis inuitissimos. Illata cum
honore eius loci mentio sciscitandi cupidinem Stephano
iniecit. Ergo mendaci ad verum extorquendum, sedulo
instandum ratus, percontari, quis tandem ille esset locus:
in eoque perstans Dei, ac Deiparæ nomine imperare, vt
verum eloqueretur. Nec frustra. Arctus exorcismorum
vi subactus tandem profiteretur, illud esse Deiparæ cubicu-
lum, vbi Deum Gabrielis nuncio conceperit: & simul a-
diungit, se diuinitus subigi, verum in præsentia edicere.
Tum vero Stephanum cupido incessit cognoscendi, vbi
Angelus stetisset salutans Virginem; vbi Virgo cum salu-
taretur, oraret. Igitur, vt ex mendacij patre verum ex-
sculperet, solemnibus exorcismis subigere institit, vtrum-
que vt locum demonstraret sedulo. Ille demum diuina vi
coactus enunciauit, Virginem quidem in cellæ angulo vl-
tra cornu Euangelij ad dextram sacrosancti camini (vbi
nunc est scabellum aptum genibus flectendis) Deo suppli-
cantem à Gabriele salutatam: ipsum vero Angelum ex-
diame.

diametro in aduerso angulo ad fenestræ dextram substi-
 risse; vt facile appareat ab Angelo, Virginis reuerentiã,
 quam remotissimum locum intra cellæ parietes esse quæ-
 situm. Arctus ergo hisce rebus enunciatis, tandem ex cor-
 pore obsessæ mulieris excussus, eam reliquit exanimem.
 At illa haud multo post ex pauimento, vbi prostrata ia-
 cuerat, redeunte animo surgit: simul cum viro ingentes
 Lauretanæ Virgini grates agit, vota persoluit. Haud fa-
 cile res alia huius generis nobilior, testatiorque. Inter-
 fuerunt plerique primorum Recinetensis ciuitatis, in qui-
 bus Ioannes Franciscus Angelita pater eius, qui Laureta-
 næ Virginis historiam texuit. Interfuit Antonius Bonfi-
 nis Asculanus, is qui Vngarici Regni Decadas scripsit.
 Itemque Io. Baptista Mantuanus, vt ipsemet in Laureta-
 na historia profitetur. Qui ad ea quæ diximus hoc addit:
 Arctum illum rite exorcismis subactum, hoc quoque inter
 cætera indicasse, sacram Virginis cellam, antequam Na-
 zaretho excederet, Carmelitanorum curæ commissam
 fuisse. Quæ quamuis mendacis Diaboli indicio enuncia-
 ta, tamen quia veracis, ac præpotentis Dei vi, ac nomine
 sunt extorta; haud pro vanis habenda: præsertim cum
 veri similia sint, & Christianæ religionis augeant cultum.

*Recinetensis ciuitatis donum ob depulsam pestilen-
 tiam. Carmelitanorumque discessus.*

Cap. VII I.

Alexander inde VI. Innocentio VIII. successit, cuius
 Pontificatus flagrante intestinis, exterisque bellis
 Italia, haud pacatior quàm Innocentij, quanquam Iubi-
 lei celebritate, quæ in annum millesimum quingentesi-
 mum incidit, insignior fuit. Ea tempestate atrox Reci-
 neti grassabatur lues, quæ contagione vulgata ciuim
 pluribus absumptis, grauiorem in dies minitabatur ciui-

Hier. Ang.

01011

K 2

tati

Ciuitatis
Recinet. do
num.

rati cladem. Igitur à Magistratibus de primorum confilio, indicitur ad Lauretanam Aedem supplicatio: votum publicè nuncupatur. Nec spes precesue in irritum cecidere. Extemplo votiua supplicatione, veluti diuina manu pestilentia absterfa: Ciuitas periculo exempta. Ergo Recinetenses voti rei pro domesticis quisque copijs, magnam pecuniæ vim in votium conferunt munus. Decretaque supplicatione, coronam auream gemmis distinctam clarissimis Lauretanæ Virgini donum ferunt, anno eius seculi XCVI. Corona B. Virgini imposita, & simul à Robureo Cardinale impetratum est, vt ea nunquam remoueretur: Cardinalisque beneficium Iulij Secundi, & aliorum deinde Pontificum authoritatè firmatum. Et valuit apud finitimos populos gratæ pietatis exemplum. Hinc ille mos increbuit, qui hodieque viger, vt Piceni vrbes, & oppida quotannis insigni supplicatione ac pompa coronam Lauretanæ afferant Virgini. Hand ita multo post Hieronymus Robureus Cardinalis sanctissimæ cellæ pauium, qua supplicantium genibus attritum, quæ auellentium manibus effosum (quippe auulsa inde saxa, sericoque inuoluta pro reliquijs auferebantur) quadrato marmore discolori pulcherrimè strauit. Opus scutulatum est egregium, & vel in tanta, quanta nunc Lauretanum sacellum est, magnificentia visendum. Porrò circa vestibulum templi magnificentissimas ædes à Bramante architecto illa tempestate in clyto descriptas Robureus moliri cœpit, annuente Pontifice. Cisternam quoque ingenti amplitudine in medio templi atrio exstruxit ornauitque, ne quando oppidanis aduenisue deesset aqua. Cæterum incolarum, & peregrinorum commodis consulenti veteres Lauretani templi curatores instaurandi fuerunt. Cœli grauitas, quæ tum erat Laureti ex circumiectis nemoribus lacunisque, Carmelitanorum Patrum complures absumperat. Itaque Petri Taruisini Vicarij Generalis iussu, relicta Lauretanæ basilicæ procuratione,

nono

nono anno, quam venerant, ad salubriora migrarunt loca. Horum in locum pij aliquot Sacerdotes, sed mercenarij à Cardinali Patrono substituti, qui ad Leonis Decimi Pontificatam durarunt, qua tempestate res tandem ad Canonicos venit.

Iulij II. decreta, nouique templi molitio, & nobilium hominum dona. Cap. 1X.

EXempto rebus humanis Alexandro Sexto, Pius Tertius sublectus Pontifex bonus, sed breuis adeo, vt vix tertiam hebdomadam excesserit. Pio Iulius Secundus subrogatus, religione erga Lauretanam Virginem nulli Pontificum secundus. Is quippe anno quarto Pontificatus sui, siue Xysti Quarti patruj exemplo, siue quod in Pontificia ditone armis recipienda, imploratam Lauretanæ Virginis sensisset opem, Lauretanam Aedem summa ope ornare coepit. Omnium primum, rem ad augendam loci religionem efficacissimam, veterem Aedis famam Pontificia authoritate altius in mortalium pectoribus defigendum ratus est. Itaque in primi diplomatis sui proœmio, Urbani VI. Bonifacij IX. Martini V. Maximorum Pontificum decreta Aedi Lauretanæ perhonorifica perstringit. Hinc Lauretanæ Domus primordia exsequens cubiculum esse ait (vt piè creditur, & fama est) B. Mariæ, vbi illa concepta, vbi educata, vbi ab Angelo salutata Christum conceperit alueritque. Hanc deinde ædem ab Apostolis consecratam, ac diuinitus primum è Nazaretho, exinde è sylua latrocinij infesta in collem duorum fratrum; hinc ob fraternas rixas in eum, vbi nunc sita est, collem demigrasse. Deinceps præfatus, se non minore studio teneri Lauretanæ Domus ornandæ, quam Paulum Secundum, aut Xystum Quartum, quorum præclara in eam extarent beneficia; confirmat illorum munera, immunita.

Iulij II.
Bulla, & testimonium.

Tulij II.
beneficia.

munitatesque . Lauretanam insuper Aedem, denuo in tutelam Pontificis receptam Pontificium sacellum appellat, sacra inibi officia solemniter, ut Romæ in sacello Pontificis, peragi iubens . Porro Lauretani templi ministris omnibus indulget, ut Pontificij familiares, & cōuictores essent eo iure, quo qui optimo . Ad hæc Præto-rem Laureto præsidere iussit à Pontifice diligendum, cui etiam mistum dedit imperium. Ex quo tempore oppidum Lauretum Recinetensium ditioni exemptum sui iuris esse cœpit . Annonam quoque & alia venalia Lauretum deferentes omni portorio, ac vectigali immunes esse voluit . Interdixit etiam ne quisquam dona, seu pecunias B. Mariæ Lauretanæ oblatas auerteret, cum excommunicatio- nis latæ sententiæ minis . Per id quippe tempus plurimis non pecunijs solum, sed etiam muneribus sacram Aedem auctam reperio . Georgius Monachus Patavinus B. Virgi- nis Lauretanæ effigiẽ ex argento expressam, pondo libra- rum quinque, donum attulit . Cardinalis Tranensis alte- ram eiusdem formæ ac materiæ effigiem, sed ponderis duplo maioris. alij alia, quæ exsequi operæ non est.

Georgij
Monachi
D.
Card. Tra-
nensis D.

Paralytica nobilis mulier sanatur.

Cap. X.

Bern. Cyril.

Fuit hoc ipsum tempus etiam miraculis insigne . illud autem præcipuum, quod incidit in annũ M. D. VIII. Longus quidam Neapoli fuit vnus è Consiliariis Regiis, clarus in paucis . Huius coniux femina primaria (ex viri cognomine Longa dicebatur) omnibus capta membris, acerbissimis insuper discruciatâ doloribus miserrimã trahebat vitam, morti quam vitæ similiorem. Itaque ad vltimum damnata ope medicorum, exorat virum, ut Lauretum deferri ipsam iubeat . Quò ut peruentum est, generũ suum itineris comitem rogat, certum ut sacrum in augu-
stissima

stiffima Virginis cella faciendum curet suis rationibus accommodatum: nimirum cuius initium est: *Repleatur os meum laude*, in quo sanati à Christo Paralytici Euangeliū recitatur. Id sacrum sextæ feriæ à Pentecoste assignatum, utique alienum ab eo tempore erat, cum iam pridem is abiisset dies; sed Longa votiuum id sacrum expetebat. Vix hoc planè genero mandauerat, cum ipsa eodem genere prosequente, in sacrosanctam defertur Aedem, ac B. Virgini sistitur, haud dubia spe Deiparæ preces salubres sibi futuras. Ecce tibi prius quam gener socrus suæ mandata exsequi posset, ad aram accedit sacerdos ignotus: qui rem diuinam ab illo ipso introitu: *Repleatur os meum laude*, orsus, Longam ingenti admiratione percussit. Igitur stupore attonita paulisper hæsit. Inde versa ad generum, qui non dum ab ea, sacri curandi causa, discesserat, sed iam discedere parabat, Mane, inquit, nihil attinet te ire: hoc ipsum est sacrum, quod requirebam. Porro vt ad illum Euangelii locum ventum est, ait *Paralytico: Tibi dico surge*. mira res dictu, visuque. paralytica mulier repente diuina quadam vi, simul membra consolidari, simul mentem insolita dulcedine perfundi sentit. Extemplo igitur gratulabunda exsurgit è sella, cæteris rei nouitate, ac stupore attonitis: manantibusque gaudio lacrymis, nullum facit agendi grates B. Virgini modum. Ad vltimum re diuina peracta, suis ipsa pedibus ad hospitium tendit, cunctis utique eius familiaribus tantæ rei miraculo stupentibus. Aderat tum forte Laureti Dux Termalensis cum delecta equitum manu, qui a Iulio II. in Galliam Cisalpinam ad bellum euocabatur. Hic igitur (vt qui Longam, eiusque insanabilem morbum familiariter norat) vbi suis ingredientem pedibus eam vidit; hæsit scilicet rei nouitate obstupefactus. euidenti deinde miraculo motus, diuinas cum illa laudes miscuit. Noua exinde res auxit miraculi fidem. Sacerdos ille, qui Longæ rem diuinam fecerat, diu multumque requisitus nusquam comparuit;

paruit; diuinitus missum crederes, vt diuini operis minister foret. At Longa voti compos Neapolim regressa, valetudinem diuinitus receptam Deo consecrandam existimauit. Proinde sacrarum Virginum cœnobium Neapoli instituit: ipsa ægrorum insanabilium ministerio se se deuouit, Raimundo Cardona Prorege Neapolitano.

Julius II. Lauretanum templum absoluit, munitque.

Cap. X I.

Iulius porrò alia multa beneficia, quæ longo explicata diplomate opere pretium non est referre, superioribus adiecit. Aucta hisce immunitatibus Aede Lauretana, ad eius munimentum cura Pontificis versa. Igitur haud minore animo pacis opera aggressus, quam quanta mole gerebat bella, Lauretanum templum à Paulo Secundo inchoatum, cuius absolutio varijs casibus turbata fuerat, nō exstruere solum, sed etiā permunire parat. Videbat quippe ædem non minus sanctimonix, quam opulentix fama inclytam in vico immunito expositam, seu militum, seu barbarorum auaritiæ fore. Bramantis ergo nobilis architecti consilio atque opera vsus, per Hieronymum Robureum Laureti Patronum rem vrgere cœpit. Et Hieronymus Lauretanam Aedem omni ope ornare, munus ac decus Roburæ familiæ ratus, basilicam in arcis modum exfluxit muniuitque. Quippe sacella ipsa propugnaculorum instar assurgunt. additæ vndique in summis muris pinnae, aditusque sub tecto, vt ad propugnandum quoquo versus tuto discurrere miles possit. Omnino eminus intuēti arcis potius, quam ædis speciem præbet. Et adiuuat tēpli munitionem collis, cuius in vertice sita eminent, præsertim quā vergit ad mare. Basilicæ corpus ex pilis ingentibus columnarum instar duodecim constat, quarū vtrisque senæ concameratum tectum sustinent. Huic corpori duæ

ri duæ velut alæ, hinc atque hinc adiectæ, cum senis facellis minoribus, quæ intercolumnijs vtrinque respondent. Alia porrò maiora circa templi caput facella disposita numero septem: his interiecta sacraria quatuor, quibus fere Lauretana conduntur dona. Sub tholo, quod est velut basilicæ caput, sacrosancta B. Virginis cella, præcipuam obtinet sedem, & vndequaque aspectabilem; multis circa, vt diximus, facellis maioribus, admirabili artificio excitatis.

Iulius II. à bombardæ ictu protectus Lauretanam Aedem donis colit. Cap. XII.

INter hæc euidenti miraculo nouus Pontifici iniectus est ardor Lauretanæ Virginis honestandæ. Bononiam pergens ad comprimendos Bentiuolorum motus, Lauretum venit: & iplo natali B. Virginis die in natali eius cella sacrum fecit. sub sacrum solemni pompa in suggestum ad id fabricatum ascendit. Hinc populo, qui ad Pontificis aduentum maior solito confluerat, bene precatus, amplissimam delictorum Indulgentiâ largitur omnibus Lauretanam Aedem eo die ritè videntibus. Sunt qui scribant, Iulium eo tempore vota B. Virgini nuncupasse, pio iustoque bello Tyrannos persequi molientem. Certe id, & belli euentus, & Pontificis ob partam victoriam dona testantur. Iulius igitur Bononiam profectus, expulsis Bentiuolis, urbem pacauit. Inde Fauentia, Foroliuio, Rauenna, aliisque Pontificiæ ditionis vrbibus, oppidisque vi receptis, cum Mirandulæ obsidio Ducum incuria traheretur; ipsemet Pontifex nouo exemplo pergit in castra, Duces militesque sua præsentia excitaturus. Ibi dum belli consilia cum Cardinalibus agitabat sub tentorio; manifestum periculum diuina vtique euasit ope. Quippe globus ferreus instar humani capitis, repente ab hostibus aneo tormento

Diarium
Iul. II.

Vicciar. l. 9.
Onufr. 63
Iul. II.

Vicciar. l. 9.
Tradit. Lau.

L præ-

prægrandi excussus, deiecto Prætorio, nihil omnino Pontificem ipsum, aut quemquam eorum, qui Pontifici in consilio aderant, læsit. Id enim uero Pontifex B. Mariæ Lauretanæ debere se professus est; siue quod ad bellum iturus, ei vota fecerat, seu quod ad primum bombardæ fragorem Lauretanam Virginem inclamarat. Ergo Mirandulæ expugnatione, alijsque victorijs clarus Lauretum pergit ad vota reddenda. Gratijs Deo Deiparæque impense actis, globum illum in sacrosancto sacello suspendi iubet, monumentum posteris, quanta pestis esset ab suo capite, Lauretanæ Virginis præsidio depulsa. Suspensus est globus è pariete ab latere sinistro aræ, quod vulgo cornu epistolæ vocatur: ubi nunc quoque monstratur visiturque. Inde Pontifex, ut gratus non tantum pius in Virginem foret, Lauretanam basilicam decorare impensius cœpit. Namque aram maximam sacra supellectili augendam ratus, egregium aræ amiculum ex veste Attalica crispante, argenteâ crucem pondo librarum quadraginta illusam auro, & antiquo opere cælatam: Bina item sesquicubitalia candelabra eiusdem materiæ atque operis, pondo xxvj. ab vrbe misit. Et exstat in turbinata crucis basi titulus, haud obscurum indicium partæ à Pontifice, Deiparæ Virginis ope, victoriæ:

Iulij II. D.

Hier. Ang.
Bern. Cyril.
Cod. Lau.

IVLIUS II. PONT. MAX.
DEIP. VIRGINI LAURETANÆ DICAVIT
ANNO M. D. X.
IN HOC SIGNO VINCES.

Neque his contentus Iulius binos insuper aræ ornatus, (frontalia vocamus) ex holoserico villoso cæruleo, insignes auro, margaritis, & opere Phrygio addidit. Altarium ornatui ornatum ministrorum adiecit, mitram egregio opere, aliaque Pontificalia ornamenta, quibus videlicet, vel Pontifices, vel Episcopi sacris operantes vterentur. Super hæc conchyliata peristromata exornandis
templi

templi parietibus, aliaque compiura dona Lauretanæ Virgini dedit dicauitque.

Septennis puella à B. Virgine ipsa Lauretum adducitur. Cap. XIII.

Eodem fere tempore B. Virgo Lauretana, & Pontificem in bello textit, & inopé puellam in pace inusitato miraculo sibi adiunxit. Sabino cuidã, ex pago haud ignobili agri Piceni (Rocham Contradam vocant) filia erat septennis nomine Alexandra, quæ haud longe à pago paternum pascebat gregem. hæc dum oues pascerentur, sub arboribus venerabunda cœlesti numini supplicare consueverat. itaque diuinitus nondum septennium egressa dicauit se Deo. Quo magistro dum precibus institit, Deiparam enixè colens; repente obtulit se illi cœlesti specie Virgo (haud dubiè Dei mater fuit) quæ puellam manu præhensam se sequi iubet. Mira res dictu. triginta millia passuum ab eo loco, ipsamet cœlitum Regina paruam puellam ad Lauretanam deducit Aedem: & ingenti perfusam gaudio ex suæ imaginis ac domus aspectu, reducit ad pasqua. Ibi Alexandram, etiam si quæ tandè illa ædes, quæ Virgo esset ignoraret; tamen ingens eius loci, & spectaculi desiderium tenebat. Ergo, vt gustata semel Lauretanæ Domus dulcedo subibat animum, flens precibus vrgere, ac fatigare Sabinum patrem non desinebat, vt ad ædem illam tot liminibus illustrem (neque enim aliter designare nouerat locum) se duceret, vbi pulcherrima illa Virgo habitaret. Eludebat filiæ postulatum pater, siue pueriliter delirare eam ratus, siue quem tandem locum illa describeret, ignarus. Cæterum haud multo intermisso tempore, euenit vt Sabinus cum vniuersa familia Lauretum pergeret. Tum vero Alexandra locum agnoscens, gestire, & exultare gaudio: ac versa ad parentem, En pa-

*Ann. Laur.
Raph. Rier.*

ter, inquit, hæc, hæc illa est Domus, quo me pulcherrima illa Virgo candida veste amicta deduxerat. huc ego redire, hoc spectaculo iterum frui expetebam. Obstupuit ad hæc pater, & eximiam puellæ erga Deiparam religionem animo reputans, sensit eam B. Virgini esse cordi, utique cum Dei mater illam ad se à primis annis inusitata quadam ratione pelliceret. Igitur pietatem filix fouere non destitit. Remque omnem, nec ipse tacuit, & Alexandra ubi adoleuit, pijs hominibus sæpe narrauit, qui deinde alijs, ac mihi ipsi retulerunt. Incidit hoc miraculum in annum seculi huius VII. Nec frustra hæc fuerunt. Alexandra deinde hoc Tyrocinio imbuta virginitatem perpetuo coluit: vitamque sanctissimè egit ad annum nonagesimū, Lauretanam Virginem quotannis reuifens. Tanta porro fuit sanctimonix fama, vt in oppido Montalbodo Virginū cœnobio Antistita data sit, vbi miraculis etiam, non tantum virtutibus floruit.

Circa vestibulum Templi Lauretani ædes Pontificiæ à Iulio II. inchoantur, & sacrosancti sacelli celatura destinatur.

Cap. XIV.

CAeterum intentus perficiundo, exornandoque templo Lauretano, augebatur ad impensas Pontificis animus. Itaque sacrosancto sacello muris basilicæ communito, munimentum Lauretano vico aduersus hostium impetus, incurfionesque addendum ratus est. Dudum Hieronymus Robureus Laureti Patronus, vel maxime memorabilis, qui id operis susceperat, excesserat vita, vix apertis primis ædificij fundamentis. Proinde Iulius Pontifex præclara coepta exsequens, eodem Bramante (cuius ante mentionem fecimus) authore, Pontificias circa templum ædes sanè ingentes, ac magnificas inchoauit, Principum

cipum hospitio præcipuè destinatas. Quarum forma talis: Aedium sinus (vbi est aditus impluuij) basilicæ obuersus eam duobus lateribus quasi brachijs cingit. In quatuor angulis totidem prominent propugnacula. Tota moles quadrati castelli speciem refert, templum habet pro arce. Eius hodie pars vix dimidia assiduo multorum annorum labore sumptuque absoluta. Nec vero dum Pontificias ædes exstrueret Iulius, templum adornare destitit. Ad eius cul-

tum cantorum chorus institutus: organa musica egregia, magnifico opere, auroque conspicua: campanæ duæ eximiam magnitudine, ac specie fusæ: turris campanariæ fundamenta iacta Iulij Secundi opera sunt. Ita ornato templo, augustissimæ Virginis cellæ extrinsecus ornandæ, satis pretiosi marmoris comparat. Quod utique opus fuisset operum eius maximum, nisi iam matura æuo mors coeptis eius interuenisset, Deo tam insignem laudem alteri referuante. Illud autem non postremo habendū loco, quod huius generis vltimum mortaliū eius operum fuit. Petrus Antonius Perottus Syluestrinorum Præpositus Generalis, D. Mariæ Lauretanæ studio accensus Abbatiam S. Laurentij Laureto proximam (ea est in agro Castri Ficardi) cum vniuersis villis, ædibus, pratis, agris, oliuetis, syluis ad eam pertinentibus, Pontifice approbante, Lauretano concesserat templo, anno huius seculi XII. Iulius ergo paucis ante mortem diebus, Abbatiam illam Pontificali diplomate Lauretanæ attribuit Domui. Perottum ipsum Laureti Gubernatorem constituit, ratus (id quod erat) cui cordi fuisset Lauretanæ fortunæ augere, eidem conseruare ac tueri auctas, cordi futurum.

Hier. Ang.
Bern. Cyril

Antonij Pe
rotti D.

Aedes Lauretana à Reginis Neapolitanis aditur.

Cap. XV.

Leo Decimus haud Pontificatu magis, quam instituto successor Iulij, nihil potius habuit, quàm vt in Lau-

retana

Riera in Ap
nal. Laur.

retana Aede amplificanda nemini cederet. Et huiusce studij sui declarandi præclaram illi Deus materiam, inter primum Pontificatus rudimentum dedit. Per ea quippe tempora Lauretanæ Religionis, ac celebritatis fama Neapolim perlata duas Ioannas Aragonias, seniorē, & iuniorē (Reginas Neapolitanas, quia regia stirpe genitæ erant, vulgus appellabat) ad templum miraculis maximè inclytum visendum accendit. Itaque magnifico sane comitatu Neapolitani Regni interiora penetrâtes, per Samnites in Picenum transeunt, ingenti populorum, quacumque transibant, gratulatione cultuque exceptæ. Quo tempore Leonis præcipuè magnificentia enituit. In omnibus Pontificiæ ditionis oppidis, quæ erant in via, Reginas regio apparatu excipi iussit, non tam illarum cultui, quam Lauretanæ Virginis celebritati fauens. Cumulatissimam insuper delictorum veniam, & ipsis Reginis, & cæteris Lauretum ad illarum aduentum occurrentibus, eodemque die Lauretanam Aedem rite venerantibus imperitiuit. Annus huius seculi quartus decimus Reginarum aduentu insignis perhibetur. Et exstat in Piceno celebre eius rei monumentum. Fama est per eam occasionem in agro Montis Sancti (oppidum id est Lauretum inter, & Firmum) viam illam pulcherrimam esse stratam, quæ hodieque via Reginarum vocatur, ab his videlicet Reginis olim appellata, in quarum gratiam sterneretur.

A Leone X. amplissimis decretis ornatur.

Cap. XV I.

Leonis X.
beneficia.

EX in Leo cunctas Iulij Secundi, superiorumque Pontificum Indulgentias, immunitates, beneficia Lauretanæ Domui tributa luculento diplomate rata esse iussit: ac deinceps alijs super alia diplomatis impense cumulavit. Lauretanam quippe Ecclesiam Collegiatam instituit:

tuit: figillo cæterisque collegialibus insignibus ei attributis. Duodenos inibi Canonicos (ex quorum numero Archipresbyter, & almæ Domus Custos forent) totidemque Sacerdotes assiduos, quos Mansionarios vocant. Senos præterea Clericos chori adiutores esse voluit. Sui, cuique annui reditus pro rata portione assignati. Omnes porrò Indulgentias, quibus in templorum stationibus Roma perfruitur, Lauretanæ concessit Aedi, vt iisdem temporibus Laureti percipere aduenæ possent in vna æde, quæ Romæ perciperentur in pluribus. Pretium operæ visum est, honorarium diplomatis procœmium inserere. *Cum nos memoria repetimus grandia, ac ferè innumerabilia continua miracula, quæ apud Ecclesiam de Laureto multis Christi fidelibus pro varijs infortunijs, & necessitatibus ubicunque oppressis, qui ad Ecclesiam ipsam de Laureto sola animi moderatione confluunt, intercessione dictæ gloriosissimæ Virginis, illius vnguentus operatur Altissimus; dignum ducimus, atque debitum, eandem Ecclesiam de Laureto non solum in antiquis concessionum gratijs fouere, & conseruare illasam; verum nouis in dies prærogatiuarum muneribus, largitionibus, compendysque decorare.* Inde Anconitano, Pisarenfi, alijsque autumnalibus finitimorum oppidorum mercatibus abrogatis, Recineti dumtaxat Septembri menſe (ornando scilicet diei natali B. Mariæ) celebrari emporium iussit. Ad hæc Recinetensis emporij, immunitatumque nuntiis ad barbaras quoque nationes, non tantum ad Christianos populos circummissis, euocauit vndique mercium institores. Ergo gentium, generumque omnium mercatores hac fama exciti, Recinetum ad indictum mercatum confluunt, Itali, Dalmatæ, Germani, Flandri, Græci, Armenij, Iudæi denique Hispania nuper expulsi, Turcæque. Institorum ergo complures cuiusque generis, seu religione, seu miraculo loci (& vicinitas inuitabat) ad Lauretanam Aedem venisse constat: nec quenquam aditu prohibitum, præter obstinatos in auita superstitione, Turcas, Iudæosque,

Leonis X.
testimoniū.

que, ne videlicet *projcerentur margarita ante porcos*. Græcos vero, & Armenios (tametsi plerique eorū schismatici essent) religione erga B. Virginem cum Latinis certasse accepimus: plures eorum detractis in ipso rēpli aditu sibi calceis, manibus & oculis sublatis in cœlum, ad sacrosanctam accessisse Domum: quo vbi ventum esset; ad limen procubuisse venerabundos: ibique prostratis humi corporibus, Deum Deique parentem adorasse, demum ad conspectum Virginis, aramque adrepisse genibus, Iesu Mariæque nomina enixe inuocantes. Hæc porro Recinētēsis mercatus à Leone instituta celebritas plurimos deinceps duravit annos, ingenti cum Lauretanae celebritatis incremento. At Leo ne quam Lauretani cultus amplificandi omitteret viam, ad vltimum sanxit, ne vota adeundæ S. Mariæ Lauretanae vlllo modo possent cum alijs pietatis operibus commutari. Proinde votum hoc quinque illis vulgo excipi solitis aggregavit. Et est diploma honorario proœmio insigniter ornatum: quod quia est ad Lauretanae Virginis laudem insigne, attexere placuit. *Gloriosissima Virginitatis Matris Dei Maria, à cuius laudibus sicut neminē cessare fas est, ita ad illas explendas neminem sufficere arbitramur. Cum si quidem nullum promptius miseris, aut efficacius peccatoribus refugium apud Deum inueniatur, merito totius animi, mentisque affectibus recolentes illam in cœlis primum adorandam, deinde vbiq̃ue in terris venerandam, & loca eius nomini dicata omni studio ornanda esse censemus, & illa maxime, quæ ipsa B. Virgo sibi angelicis comitata cœtibus elegit, & assidue in eis ad Christi fidelium auxilium, & subleuationem miracula fere innumera operatur. Inter quæ omnium consensu testimonio, ac deuotione locus ille Lauretanus fama celebris, ac deuotorum frequentia cultissimus merito habetur primus. Cum enim Beatissima Virgo (vt fide dignorum comprobatum est testimonio) è Nazaret imaginē, & cubiculū suum diuino nutu trāsferens, postquam apud Flumen Dalmatiæ oppidum primo, & deinde in agro Recanatensi in loco nemoroso, ac rursus quodam in colle eius-*

Leonis x. testimonium al-
terum.

le eiusdem agri particularibus personis addicto posuit. Demum in via publica ubi modo consistit illud angelicis manibus collocando sibi delegit, & in eo assidue miracula innumera illius meritis operatur Altissimus. Ob quod complures Romani Pontifices prædecessores nostri, & præcipue fel. Recor. Paul. II. Syxtus IV. & Iulius II. Sacratissima Virginis merito deuotissimi, quo populum Christianum omnipotenti Deo, & Virgini Matri redderent acceptabilem, Ecclesiam Lauretanam, quæ tanto miraculo creuerat, & augetur in dies varijs, ac præcipue spiritualibus decorarunt muneribus. Et cætera, quæ sequuntur.

Egregijs ornamentis, donisque decoratur.

Cap. XVII.

NEC Apostolicis litteris magis Lauretanam Aedem Leo Pontifex, quam Pontificijs opibus auctam voluit. Interim ab eo templi, Domusque Lauretanæ ædificia strenue adiuta. Bina templi sacraria circundatis segmentato opere armarijs adornata. Inde ad ipsam sacrosanctam cellam honestandâ conuertit animum. Ac sacros quidem parietes intrinsecus ornandos ratus non est, ne quid in eis ornati esset præter ipsos, quos Christi ac B. Virginis habitatio, contactusque satis superque adornarent. Cæterum intentus facello extrinsecus magnifice exornando (& materies ad id nuper ab Iulio præparata stimulabat) eam ornatus amplitudinem concepit animo, quæ digna Deipara Virgine, digna Romano Pontifice Christi Vicario, digna ipsius loci maiestate religioneque, quoad paterentur humanæ opes, foret. Ergo Sansouino Architecto simul ac statuario illis temporibus nobilissimo, formæ describendæ negotium dat monito quid sui consilij sit. Sibi utique esse in animo tale moliri opus, quod in parua mole, omnem illius seculi magnificentiam vinceret. Nec defuit regio Pontificis animo sapientissimi

Leonis x. ornamenta.

M mi ar-

mi architecti solertia. Formam quippe talem descripsit, quæ Leonis responderet optatis. Nec Pontifici minus animi in opere perficiendo fuit, quam studij in forma optanda probandaque fuerat. Preciosi marmoris haud quamquam satis erat: & descripta forma requirebat ingentes marmoris glebas. Igitur eas inde vsque à Carraria (quæ candidi marmoris lapidicina in Liguribus est in primis nobilis) peti iussit. Nullaque habita sumptus ratione Ligustica marmora nauigijs imposita longissimo circuitu (quippe infero superoque mari, Italiae oram pene quam longa est, circumuehi necesse erat) subuehenda curauit. Quæ ad Anconam, siue ad Recinetensem portum demum exposita Lauretum aduehebantur plaustris: ibi ab eximijs fabris illius ætatis maxima mercede conductis, antiqua illa Græcorum, Romanorumque arte perpoliebantur. Inter hæc auxit loci maiestatem, religionemque haud exiguum Lauretanæ Basilicæ additum decus. Leo, vt augustiorem sedis Lauretanæ speciem faceret, Petrum Antonium Perottum Præsidentem sacris operantem cum cætero habitu, tum verò Episcopalis insignibus venerabilem fecit: eidemq. concessit, vt sacris operatus populo bene precaretur Episcopali ritu. Nec Leonis cura Lauretanum Antistitem magis, quam aram Pontificijs muneribus honestauit. Cædelabra argentea quatuor sesquicubitalia auro interlita, & præclaro opere cælata pondo fere quinquaginta: umbella insuper quadrata egregia Leonis dona sunt. Per eadem tempora Lauretana Aedes alijs quoque nobilissimorum hominum muneribus culta. Antonius Leiuua Dux Hispaniensis exercitus sacerdotale ornatum dono misit ex veste Damascena, auro crispo magnifice intertexta. Regina Vngariæ effigiem suam ex argento supplicem pondo xxx. Marchionissa Mantuana sacerdotis, ac ministrorum solemnem ceremoniam sacrificantium vestimenta, argento auroque contexta. Alij porro alia, qui etsi nobiles ipsi erant; tamen sua nomina

in

Leonis x.
Dona.

Cod. Laur.

Antonij Leiuua D.

Reginæ Vngariæ D.
Marchion. Mantuanæ D.

in suis donis ignota esse voluerunt. Quibus ex donis illa eminent maxime. Statua argentea B. Virginis cum effigie pueri Iesu globosum orbem tenentis manu, pondo librarum octo. Huic altera adiecta argentea item statua, & pōdere par, & specie similis: hoc vno differt quod Christus puer matris gremio insidet, dextra prætendens pyrū. Alia rursus ex argento expressa B. Mariæ effigies librarū xī. Itemque alia, pari fere pondere, cum Cæsareæ Aquilæ insignibus, vt vnde ea sit, haud ægre appareat.

Dona ab
Ignotis.

*Sacerdos Dalmata Lauretum venit, exempta sibi exta
præferens manu. Cap. XVIII.*

Eodem fere tempore permira res, & magis propter infinitam Dei vim, quam propter facti nouitatem, credibilis, Lauretanam Aedem longe insigniorem fecit toto orbe terrarum. Sacerdos erat Dalmata vir antiqua simplicitate, idemque Lauretanæ Virgini vnice deditus. Hic forte captus à Turcis, cum ad deserendam religionem omni artificio pelliceretur; nefarias voces non dicam animo, sed auribus admittere nullo modo sustinebat. Itaque importunos illos hortatores auersatus, vt eis ægre faceret, vltro Christum, ac Mariam identidem inuocabat. Stomachantibus illis, sciscitantibusque cur tandem illa nomina vsurparet, quia hærent mihi (inquit) in præcordijs. Ibi Turcæ minitari, se præcordia ipsa extracturos, nisi exemplo Christum Mariamque exsecretur. Erratis (inquit ille) præcordia mihi auferre potestis, Christum & Mariam non potestis. Tum verò illi furentes ira sacerdotem ferro pariter inuadunt. Hic Dalmata Lauretanam inclamās Virginem vouet, si vita suppetat, primo quoque tempore se ad eam iturum. Ea vox iratos magis accendit. Igitur hominem circumfistunt, & discisso apertoque pectore, intestina à summo recisa extrahunt: eaque semineci, iam

Tradit Lau.
Ann. Laur.
Rieræ.

M 2 iamque

iamque ut rebantur, casuro tradunt, simul per ludibrium increpantes. Abi iam propera, & praecordia in quibus haerere ait Mariam Lauretanam, ad eam perfer, uti vouisti. Excedit fidem, non tamen diuinam vim, quod deinde memoratur. Moribundus sacerdos, Deo mortem morante, viresque suggerente, porro ire pergit: multorumque dierum itinere celeriter emenso, Lauretum peruenit sua exta praefereus manu. Quacumque incedit; concursus ad eum fieri, seu visendi studio, seu rei cognoscendae. Et ille Lauretani praecipue templi ministris apertum, vacuumque petus, & praetenta manu viscera ostentans, totam rem breuiter enarrat, cunctis stupore atque admiratione attonitis. Ad vltimum gratijs Virgini enixe actis, & solemnibus Confessionis, Eucharistiaeque praesidijs communitus, in Deiparae conspectu, complexuque (ut credere par est) efflauit animam. Exta ipsa e regione sacrosanctae cellae suspensa diu aduenis spectaculo fuerunt. Quibus tabe absumptis, exta e ligno assimulata, atque ibidem affixa multos annos monumentum ei fuere miraculo. Caterum quia rusticani homines Lauretanum templum ingressi, animis tali spectaculo occupatis, Deiparam seigniore colebant cura; tandem ea tolli placuit. Itaque Paulo III. Pont. per occasionem firmandi pilas, quibus tholus incumbit, tigillum vnde illa pendebant, deiectum est. ad conseruandam tanti miraculi memoriam, sacerdos praecordia praetendens in tabella depictus, addita breui totius rei narratione, & in publico propositus, qui hodieque visitur. Miraculum quidem ipsum adeo testatum est, ut nefas sit de eo dubitare. Multi adhuc viuunt, qui testantur exta e ligno expressa ab se visa, pluresque accolarum auditos, cum dicerent, exta ipsa adhuc recentia ab se conspecta esse Dalmatae sacerdotis.

*Turcarum incursiones ab Aede Lauretana diuinitus
arcentur. Cap. XIX.*

PER idem tempus B. Virgo, quam sibi Lauretana Do-
mus cordi esset, haud dubijs argumentis ostendit.
Selimus Turcarum Imper. Mahometis nepos, intactis æuo
Lauretanae cellæ thesauris imminens, nihilo feliciore exitu
tantum facinus tentauit, quam Mahometes eius auus
tanto ante tentauerat. Iam Selimus suis, maiorumque
suorum victorijs erectus, omnia pene maria classibus ha-
bebat infesta, totam subinde Europam, vltimique occi-
dentis oras imperio suo destinans. Igitur illo authore, in-
gens piratarum manus in Italiam appulit: & Dalmatarū,
Appulorumque littoribus depopulatis, Lauretanae prædæ
spe inuitante, in Picenum vela fecerunt. Descensione inde
facta, Castro Portus Recinerensis potiuntur: tecta cædi-
bus & incendio foedant. Iam nemine contra arma feren-
te, Lauretum inflammatis studiis contendebant; cum de-
sertam à mortalibus propugnatoribus ædem à coelestibus
defendi, propugnarique senserunt. Quippe ipsemet Lau-
retanae Aedis conspectus tantum eis terrorem incussit; vt
è vestigio trepidi re infecta, repeterent classem, haud du-
bii, quin dilecta illa cælo domus cœlesti præsidio tegere-
tur. Selimus porro conandi sceleris author paulo post
haud dubia diuini numinis ira periit cancro, foedissimo
iuxta, atrocissimoque morbo misere absumptus. Nectam-
en exitialis Selimi exitus aliorum compressit audaciam.
Cognitum est deinde ex Turcarum captiuis, qui fuga ela-
psi, Lauretum ad vota B. Virgini reddenda venerunt, Ar-
chipiratas, in quorum ipsi fuerant potestate, sapius Lau-
retani templi prædandi, spoliandique studio Lauretum
instructa classe petiisse. Cæterum vt in sacrosanctæ con-
spectum Aedis ventum esset, repente pauore ingenti di-
uinitus

*Ann. Eaur.
Rier.*

uinitus iniecto, regredi coactos, latens utique numen inibi esse confitentes. Ita audacia in venerationem vertit. Nam cum hæc fama inter barbaros increbuisse, ex eo tempore piratici myoparones oram Piceni legentes in conspectu Aedis Lauretanæ vix ausi sunt quicquam hostile conari, ne dum ad Aedem ipsam diripiendam accedere. Semel dumtaxat biremes Turcicæ duæ ex agro Lauretano prædas agere ausæ: quæ mox Deiparam Virginem expertæ sunt vindicem rerum suarum. Eodem ipso die à Canaletto Venetæ classis Duce captæ: prædatores suspensi: præda omnis recepta. Lauretana res barbarorum clade sancita.

Christiani exercitus avaritiam eludit.

Cap. XX.

NEc à Barbarorum vi magis, quam ab avaritia Christianorum militum Lauretana Domus per idem tempus cælesti utique præsidio intacta mansit. Franciscus Maria Urbini Dux ditione à Leone Decimo exutus fuerat. Qua deinde armis recepta, ultro ipse Picenum agrum infesta populatione percurrit, Pontificis, ut ipse dictitabat, iniuriam ulturus. Exercitum habebat ex multarum gentium colluione mistum, quibus nec mos, nec lingua communis, & præda potior religione erat. Proinde neque Ducis imperio satis regi poterat, neque vlla ratione à rapina prohiberi. Et Præfectorum, Centurionumque plerique iam pridem Lauretanis thesauris inhiabant. Iamque per internuncios de his diripiendis clandestina inter se consilia agitarant. Ergo ex composito ad Montem Filatranum non procul Laureto sub vesperam subsistunt ea mente, ut postero die illucescente, Lauretanam Aedem defensore vacuam direptum eant. Haud fefellit pium iuxta prudentemque Ducem impius conatus exercitus sui,

Itaque

*Ann. Laur.
Riere.*

Itaque per interpretes deterrere ab impio consilio perditos barbarorum Duces, per Italicas copias nefarium facinus impedire institit: omnia agere, omnia moliri, ut quolibet potius auerteretur incensa prædæ cupido. Cæterum surdæ erant omnium aures obstrepente auaritia. Ita maior pars, ut plerumque fit, vicit meliorem. Luce nondum certa, præmissis exploratoribus, agi coeptum est agmen. Dissuadere iterum Dux ac minas precibus miscens deprecari sacrilegam profectioem. Posteaquã nihil proficiebat, orat, si stetisset animo Lauretum pergere, ut mutata in diuersum voluntate, pietatis ergo, ut ceteri mortales, ad sacrosanctam Deiparæ Virginis cellam accederent: si secus fecerint, non suam modo, sed coelestem quoque intentat iram, recentia Turcarum exempla proponens. At illi animis vãsania auaritiaque occupatis, nullius salubris consilij patientes ad deuoratam spe, & opinatione prædam incensis studiis tendunt. Sequitur exercitum Dux, quem regere nequibat, sacrilegium, quod impedire non poterat, temperaturus. Sed non defuit sacrosanctæ cellæ præsidium Virginis. Præmissi exploratores haud procul Laureto aberant: omniaque tuta esse cernentes lætitia gestiebant; cum subito acrium grex luporum (ut ferinam hominum rabiem feræ comprimerent) è saltu proximo erumpunt. ac velut facto agmine in præcursores impetum faciunt: illorum plerosque repentino terrore amentes iugulant laniantque: cæteros in fugam vertunt, salutis iam magis quam prædæ memores. Qui ut ad primum agmen metu, cursu, lassitudine exanimati peruenere; receptis demum à pauore tanto animis, effusæ fugæ, terrorisque causam socijs tanti sceleris aperiunt. movent etiam atque etiam, viderent quid agerent: Aedi Lauretanæ Deum custodem, ac vindicem adesse. tantã vim luporum, tam immania corpora belluarum non è nemore illo egressam, sed diuinitus in prædatores emissam: nec ipsis tam cum belluarum exercitu, quam cum Deo, coelestibusque

Iestibusque esse pugnandum. At vāsani exercitus Duces exploratorum terrorem tanquam vanum, militari deridiculo eludentes, nihilo minus properabant ad prædam. Verum enimvero, vt sacra Aedes in conspectum se dedit; repente ingens exercitum pauor inuasit: cunctique lymphatis similes trepidare coeperunt, diuinitus incussa formidine omnium pectora percurrente. Tum vero excussa vāsania, ad se redunt sceleris Duces: & siue diuini ira numinis, siue templi religione conterriti, cuncti pariter præmeditato latrocinio desistunt. Cæterum ne subinde militares animi ad ingenium redirent, consternatis nouum miraculum additur. Iam multum diei processerat, cum repente nebulam de coelo lapsam ferunt, quæ paulatim circa templum densata eius conspectum ademit, cum tamen cætera circum loca sole essent illustria. Ea species oculis obiecta militum animos quoque immobiles tenuit. Ex inde ingenti horrore perfusi procumbunt ingenua, versaque in religionem audacia, ad placandam Dei ac Deiparæ iram, Lauretum ire pergunt. Quo vt ventum est, cuncti, ac præcipue cohortium Duces, Lauretanam Aedem intrant venerabundi: ac positis humi genibus cogitati sceleris veniam exposcunt. Vltro etiam Virginem, quam diripere destinauerant, muneribus colunt, ita susceptum ab infano principio iter exitu saniore conclusum. Vrbinatium Dux insperato exitu facinoris mire lætus, Deo ac B. Virgini auersum sacrilegium gratulatur: mox detracta sibi arma in primo augustissimæ cellæ aditu suspendit tanti miraculi monumentum: sim ul se ex agro Piceno exercitum abducturum vouet. Nec votum fefellit. Extemplo formidabiles copiæ abductæ, eademque opera, & Lauretana Aedes, & Picena regio direptionis metu diuinitus liberata.

Laure-

Lauretum à Leone Decimo mœnibus cingitur. eximium calaturæ opus urgetur.

Cap. XXI.

Multiplicis periculi Lauretani, diuinique præsidij rumor Leonem Pontificem perpulit, ut humana etiam ope talia pericula arceret in posterum. Apparebat Pontificiarum ædium molem Aedis munimento destinatum esse tantam, quantam vix assiduus plurimorum annorum absoluere posset labor. Ergo tam fera spe damnata, aduersus subitas hostium populationes, Lauretum fossis, aggeribus, mœnibus, propugnaculis cingit, huius seculi anno ferme XX. Satis etiam tormentorum æneorum adijcit ad propugnandum, & procul arcendum hostem. Ex quo Lauretum templi oppidique munitionibus septum, adiuuante collis situ, muniti castelli etiam eminus haud vanam speciem gerit. Huius rei fama finitimos ad incolendum, non tantum peregrinos ad visendum exciuit. Barbaros vero, ac cæteros à conando in posterum scelere retardauit. Inter quæ Cardinali Robureo Laureti Patrono vita functo Bernardus Card. Bibiennensis, huic Iulianus Rodolphus Prior Capuanus à Pontifice suffectus est: qui Leonis iussu, quoniam iam paratum erat Dynastis hospitium; domum hospitem pauperibus peregrinis denuo extruxit. At Pontifex perfectis Laureti munimentis, campanam raræ magnitudinis fundendâ curauit xx. millium pondo, eamque Lauretam oppidi nomine appellauit. Exinde haud parum memor egregij monumenti, quod circa sacrosanctum sacellum relinquere moliebatur, Sansouinû cæterosque artifices litteris, præmijs, promissis impensius urgere institit, ut se viuo, tam eximium opus absoluerent. Exstant Leonis super ea re ad Sansouinum litteræ, quarum initium, quia plurimum valet ad Lauretanæ Domus com-

Card. Bibi-
en. Patron.
Laur.

Leonis X.
Testimoniû
tertium.

N menda-

mendationem, visum est hoc loco referre. Id tale est: *Cum pro immensis, & infinitis in humanum genus, ac praecipue in nos ipsos ab immaculata summi Dei Redemptoris nostri genitrice collatis beneficijs, sacrosanctā, totoque terrarum orbe venerandam Lauretanam Ecclesiam, quam eiusdem Virginis carnis sarcinam ferentis cellulam extitisse, & Angelica salutationis, atque diuini partus, quem ediura esset, nuncij fuisse deuotè, ac piè credimus, & in qua se Virgo ipsa vberiore in dies singulos exhibet gratiarum largitricem fidelium cunctorum votis praesto succurrens, & caetera quae sequuntur, quorum summa est, Sacrosanctam Virginis cellam dignam utique esse, cui praecipuus quidam honos habeatur. Proinde ei summa, ope, omnibusque viribus connitendum, vt quam maturimè ornamentum eius absoluat. Veruntamen haud potuit Leone viuo, suprema illi operi imponi manus. Et sanè genus caelaturæ, ac pulcherrimarum statuarum multitudo non vnum requirebant Pontificatum. Leoni sublectus Adrianus VI. vir alioqui pius doctusque; verum seu perturbatio temporum, seu Pontificatus breuitas (quippe vix annuus fuit) fecit, vt nullum pene relinqueret suæ erga Lauretanā Aedē religionis indicium, utique cum Flādris, ex qua gente ipse erat, tēplum elegans Romæ summa ope ædificaret S. Mariæ sacrum, cui ab Anima cognomen est factum. Caeterum quàm propensa eius voluntas erga Lauretanam Aedem futura esset, si vita ei suppeditaret, facile ostendunt litteræ ab eo ad Lauretanum Præsidem datæ, & superiorum Pontificum beneficia, immunitates, indulgentiæ confirmatæ. Pauca quoque huius temporis Lauretana dona reperio, propterea quod ea tempestate notabantur negligentius. Certum habeo non defuisse. Exstat donorum memoria tacitis nominibus donantiū. Credo quod ipsi taceri vellent, quò dona forent Deo ac Deiparæ gratiora. Vnum reperio Ioannis Baptistæ Carafæ monumentum, qui imaginem suam supplicem ex argento caelatam B. Virgini consecrauit.*

Io. Baptistæ
Carafæ D.

Cle-

*Clemens VII. Lauretano templo decretis or-
nato, sacrosanctam cellam exornare
pergit. Cap. XXII.*

CReatus inde Pontifex Leonis X. patruelis Cle-
mens Septimus, cuius Pontificatum domesticis iux-
ta, externisque bellis exercitum non magis vr̄bis Romæ
direptio, quam religio Lauretanæ Domus insignem fecit.
Is quippe Pontificatu inito, nihil fermè prius habuit, quã
vt Lauretanam Aedẽ Pontificijs diplomatis honestaret,
quibus & vetera firmaret beneficia, & adijceret noua. O-
mittere hoc loco nõ possũ caput cuiusdã eius diplomatis,
Lauretanae Virgini perhonorificũ. Id est eiusmodi: *Cũ non-
nulli Romani Pontifices, præsertim fel. rec. Leo Papa X. præde-
cessor, & secundum carnem frater patruelis noster, respicientes
multa & magna miracula, quæ in Ecclesia nostra S. Mariae de
Laureto quotidie operatur Altissimus, ac moniti singulari deuo-
tione & religione, Ecclesia ipsi, & illius Domus Capitulo, Ca-
nonicis, & alijs personis quam plurima priuilegia, immunita-
tes, gratias, diuersis temporibus concesserint, Nos qui erga B.
Virginem, sub cuius inuocatione dicta Ecclesia constructa est,
singularem deuotionem semper habuimus, volentes quacunque
sunt in fauorem dicta Ecclesia conseruari, & quæ sequuntur.
Inter beneficia Clementis fuit, quod Recinetensibus ius
omne, si quod reliquum esset in Lauretum, ademit. Nec
paruum eiusdem beneficium, quod Ioannem Matthæum
Gibertum Veronæ Antistitem Laureto præposuit, virum
doctrina pariter, & virtute clarum. Ab eo Lauretana Ae-
des supellectili sacra, optimis Canonicis, solemnibus cæ-
remonijs instructa cultaque. Pontificiarum ædium por-
ticus fornicatæ: cisterna, quam à Card. Robureo ædifica-
tam diximus, tectorio inducto concinnata, magno, vel
peregrinorum, vel incolarum bono. Cæterum illa maxi-
mè cura intentum Clementis habebat animum, vt nobi-
le illud à Leone inchoatum augustissimi sacelli ornamen-*

tum pari magnificentia absolueret. Accendebatur domestica vel pietate, vel gloria, ut cuius familiae decus inchoata Aedis Lauretanæ cælatura esset, eiusdem absoluta foret. Itaque Antonium Sangallum, Raphaelem Bacium, Nicolaum Tribulum, aliosque statuarios illa tempestate celeberrimos ingenti precio conducit. Rayneriū Nerucium Pisanum Lauretanæ ædificationi, præcipuè vero egregio illi operi pro dignitate perficiundo præesse iubet. Iam preciosa marmora erant maxima ex parte cælata ac perpolita. Nerucius ergo, dum cætera elaborantur, disturbat lateritios muros, qui sacrae cellæ pro fulcramento adstructi, ab eademque diuinitus repulsi, submotique (ut antea diximus) spectaculo erant. Inde, pari interiecto spatio, quod veteris miraculi monumentum foret, novos circundari parietes placuit, qui cælato marmore conuestiti extrinsecus adornarent sacellum: superstruendumque fornicem nouum, deiecto lacunari tectoque veteri, sustinerent. Aedem quippe lapide concamerari Pontifici placuerat, verito ne peruetustum tectum laqueatum, tot luminibus perpetuo ardentibus obnoxium, igne concepto, exitium sanctissimæ cellæ pareret. Proinde ars postulabat, ut altiora fundamenta iacerentur, quæ satis firmis substructionibus tam insigni, preciosumque opus à terræ motibus tutum vsquequaque præstarent. Igitur aperiendis nouorum parietum fundamentis, sacra Domus, (ne subducto solo, quid detrimenti caperet) stragulis, ut fit, funibusque constricta, ac validis suspensa rudentibus tamdiu sublimis pependit è machinis, quoad expletis fossis, noua fundamenta exstare cœperunt. Quo tempore satis constat (plurimorum enim oculis res comperta est) sub imis parietibus, dum circa eos ad fundamenta humus effoderetur, puluerulentum tritumque solum, & proximi ruris sepem oppressam, aliaque militaris viæ, quam sacra Aedes occuparat, indicia inuenta esse, noua veteris miraculi monumenta. Hæc autem à plurimis

*Hier. Ang.
Tradi. Lan.*

rimis tum notata, atque animaduersa ipsemet Hieronymus Angelita sub idem tempus memoriae prodidit in historia Virginis Lauretanæ.

Architectus sacros parietes perfodere ausus, diuinitus exanimatur. Cap. XXIII.

CAeterum aucta per idem tempus loci celebritate, sanctissimam Aedem ianuis augeri oportuit. Vna tum erat ianua (vt supra demonstraui) in medio fere pariete, qui vergit ad septentriones. hac ingredientibus omnibus & egredientibus aditus erat pariter, exitusque. Itaque in tanta aduenarum multitudine concursuque, alijs vt fit, alios prementibus, nonnulli (quia recessum primis vltimi non dabant) coarctati, oppressique exanimabantur. Proinde (quod iam pridem, & à multis optatum, & à Leone Decimo in forma exterioris ornamenti destinatum fuerat) peruiam fieri cellam placuit, binis ad angulos duorum parietum ianuis patefactis. Vt primum Architecti consilium distulit rumor; enimvero nefas videri, non magis accolis, quam peregrinis, eos parietes ferro temerari, quos per tot ætates diuina prouidentia saluos, intactosque seruasset. Multi palam fremere, quisquis id auderet, haud impune scilicet ausurum. Igitur cœlestis iræ metus fabros à conando absterruit. Haud vanum fuisse metum docuit euentus. Quippe Nerucio ipsi Architecto rem aggredienti quiddam accidit visu diuque mirabile. Fabris tale ministerium detrectantibus, ipsemet sacrum parietem perfodere aggressus est, maiore artis fiducia, quam reuerentia loci. Ergo vt malleum in sacrum parietem adegit, repente manu obtorpescente, insolitus horror reliquum corpus inuasit. pallor deinde suffusus ori ingentis mali nuntius: mox linquente animo, qui circa erant, collabentem excipiunt, domumque inter manus defe-

*Trad. Laur.
Ann. Laur.
Rer.*

deferunt expiranti similem, & sensus omnis experte. Exam-
 nimatus iacuit horas ferme octo, quoad scilicet eius con-
 iux mulier pia, & B. Mariæ Lauretanæ dedita in paucis
 Deum Deiparamque precibus, votisque placavit viro.
 Tandem igitur vitalis calor, qui totum propemodum cor-
 pus reliquerat, artibus reddi, & spiritus liberius meare
 coepit. Iamque alleuans Nerucius oculos, redeunte sen-
 sim animo, circumstantes noscitare. Demum iam com-
 pos mentis audaciam incusare suam: veniam opemque à
 B. Maria exoptare. Nec frustra. Animus religione exsolu-
 tus pariter corpus ægritudine leuauit, vt morbi causã ipsa
 met curatio aperiret. Postquã conualuit, Pontificẽ tota de
 re admonitum quid factu opus sit consulit. Ille haud igna-
 rus id nimia Architecti confidentia magis, quam indigna-
 tione B. Virginis euenisse; miscens monitis imperia vrget
 Nerucium, vt Dei Vicario authore non dubitanter exse-
 quatur inceptum: & simul impense monet, vt sacros pa-
 rietes perfodiat non tam malleo & audacia, quam ieiunio
 & veneratione Virginis armatus: sic demum rem ex-
 sententia successuram. Neque enim timendum esse, ne
 Deipara Virgo suam domum peruiam fieri nollet, quẽ eã
 peregrinis vellet cum salute, non modo sine pernicie pa-
 tere. At Nerucium recenti malo ex audacia timidiorẽ
 iam factum, ne Pontificis quidem authoritas percellere
 potuit, vt iterum ipsemet experiretur quod tãto suo peri-
 culo paulo ante tentarat. Ad vltimum quia Pontificis im-
 perium vrgebat, & mora patefaciendi ianuas ædificatiõẽ
 morabatur operis; inuentus est adolescens minime timi-
 dus, qui autoritate Pontificis fretus, & plenus amico-
 rum vocibus rem auderet. Clericus is erat Basilicæ Lau-
 retanæ. Venturam Perinum vocabant. hic triduo muni-
 tus ieiunio ad sacrum parietem cum malleo venerabun-
 dus accedit. Circa Perinum erat & aduenarum turba, &
 Clericorum, hæc sollicita ex adolescentis fiducia, illa rei
 expectatione suspensa. At Perinus supplex ita præfatus
 dicitur,

dicitur. Sacra Virginis Domus, ignosce innocentia: non ego te hoc malleo, sed Clemens Dei Vicarius ornamenti tui auidus fodit: ille te ornatam, ille te peruiam cupit. Placeat Dei parenti, quod Dei Vicario placet. Talia precatus designatum parietis locum percussit impune. Eum deinde ictus tuto iterantem fabri pari ieiunio, ac reuerentia secuti, ianuas aperunt tres, quarum duæ liberum populo ingressum, egressumque præberent, tertia sacerdotibus aditum daret ad sanctiorem sacelli partem, ubi est Virginis simulacrum. Eodem tempore parua fenestra, quæ vna in anteriore pariete erat ferme e regione simulacri, amplior ad accipiendum lumen facta, & clathris æreis inauratis pulcherrime communita. Cæmentis inde erutis, vetus ianua, quæ satis ampla in medio pariete patebat, obstructa. Exin nouus paries duci, & insigni cælati operis crusta operiri, conuestirique cœptus.

Clemens Lauretanae Virginis ope adiutus eam impensius exornat. Cap. XXIV.

SVB id tempus Clemens Aedi Lauretanae adornandæ intentus, ingens periculum Deiparae Virginis præsidio euasit. Fraude, doloque hostium capta vrbe Roma, ipse in arcem molis Adrianae receperat se. Ibi à Cæsarianis obsessus, posteaquam hostium vim sustinere non poterat, non votis modo, sed etiam litteris Lauretanae Virginis implorat auxilium. Nec missæ in cassum preces. Pontifex haud ita multo post inter hostium tela elapsus in tutum est. Ad hoc ex auro argentoque Lauretano tria circiter aureorum millia coacta: & Pontifici inopia laboranti peropportunum subsidium missa. Ita Clemens gemino B. Mariæ Lauretanae beneficio, præsens periculum inopiæque vitauit: ac demum discussa ingruente belli procella, pacem populis suis, atque otium peperit. Discrimine capitis,

Bern. Cyril.

tis belloque perfunctus, Lauretanæ Virgini gratiam non solum habendam, sed etiam quantum mortali fas esset, referendam existimavit. Igitur post Carolum Quintum insignibus Imperij ab se decoratum Bononiæ, Romam inde remigrans ad Lauretanam diuertit Aedem, Patronam Liberatricemque suam salutaturus. Gratijs rite actis, votisque Deo ac Virgini persolutis, ut tantorum erga se meritorum exstaret gratia, inchoata Lauretanæ ædificationis opera summa vi urgere statuit. Architecto igitur, fabricisque instare cœpit, templum præcipue ad culmen perducere aliquando festinans. His operibus perficiendis pecuniam, quam mutuam à Virgine acceperat, reddidit. Itaque illo Pontifice, & Pontificia tecta Laureti strenue ædificata, & templo fastigium impositum, cum egregio tholo, qui tantum se à fastigio attollit, quantum fastigiû à terra. Inter hæc haud vltima Clementis cura erat de absolueda præclara illa cælari operis crusta, quam ut principia se dabant, haud falso augurabatur maxime inclytam toto orbe terrarum futuram.

Lauretum excisis nemoribus, lacunisque siccatis salubrius redditur. Cap. XXV.

Bern. Cyril.

DVM Lauretana Domus egregijs operibus ornatio-
 in dies existit, etiam Lauretum oppidum excisis cir-
 ca syluis, exsiccatisque paludibus existere cœpit salubri-
 us. Infame incolarum morbis mortibusque erat illa tem-
 pestate Lauretanum cœlum: quippe magna ex parte pa-
 lustre ac noxium, multarum offensarum causas corpori-
 bus afferebat, ut incolæ bonam anni partem pituitosi es-
 sent omnes ac redundantes: plerique tenui, imbecilla-
 que vterentur valetudine: pueri vero maxime immatura
 morte extinguerentur, ut pote qui propter corporum im-
 becillitatem, proximi stagni halitum, locique ipsius gra-
 uita-

uitatem ægerime ferrent. Et sane Lauretum situm est in
 tumulo vergente ad meridiem, orientemque solem; cate-
 rum ab occidente ac septentrionibus, quæ sylvarum palu-
 strium, quæ collum obiectu clausum excludebat ventos
 salubres: contraque ab altera parte apertum noxios exci-
 piebat grauesque. Nec procul planities erat caliginosa
 paludibus, quas restagnans amnis (Musioni nomen est)
 faciebat, & limosa insuper hyemalibus aquis, quæ paula-
 tim collectæ nullo motu agitante torpebant. Crederes
 insalubrem sedem Deiparæ cordi fuisse, vt eius præsidij sa-
 lubritas in loco insalubri magis emeretur. Pertulit igitur
 fama ad Pontificem, in oppido Laureto ab coeli inclemen-
 tiam, plerosque infantium ac puerorum, priusquam ætas
 adolesceret, interire: ita paulatim incolis metu orbitatis
 alio demigrantibus, in oppido solitudinem fieri. Itaque
 ille Lauretanæ Virgini pulchrum ratus, & oppidum quam
 frequentissimum, & locum quam saluberrimum esse; de
 architectorum sententia commodissimum existimauit, vi-
 cinas lacunas siccare, nemora excindere, imminentes tem-
 plo colles (Montem Regalem, & Montinorum, incolæ ap-
 pellant) æquare, vt nebulæ origine sublata, celo-
 que patefacto, aer ventorum salubrium flatibus apertus
 salubriorem faceret locum. Igitur Ioanni Antonio à Sta-
 tis Lauretano Governatori, & Antonio Sansouino archi-
 tecto scribit his verbis. *Accepimus aerem istic præsertim æsti-
 uo tempore reddi insalubrem, partim ex eo, quod quidam col-
 lis dictæ Capellæ, & Ecclesiæ supereminens ventos montanos
 loco salubres excludit, partim quod in planitie dictæ Ecclesiæ
 circumuicina etiam ad quinque millia passuum plures plaudes,
 & syluæ fere semper limosæ insalubritatem faciunt. Quam-
 obrem nos illâ Ecclesiâ toto orbe Christiano ob gloriosissimæ
 Virginis Mariæ merita, & confluentium illuc populorum mul-
 titudinem celebrem, his causis sublatis, salubrem reddere cupi-
 tes, iam ordinauimus, vt dictus collis supereminens compla-
 netur, paludes factis fossis exsicceniur, syluæ excidantur. Lau-
 retanus*

multibor
 vna. I. arch.
 1715



retanus

retanus ergo Præses impèsius etiam quam iubebatur, tam salubre opus aggressus est anno huius sæculi XXXIII. ac strenue per architectum, ingenti operarū vi conducta, pauperibus etiam peregrinis cotrogatis, syluam vico proximam deicere, lacunas ductis fossis in præterfluentem amnem, aut in mare proximum deriuare: imminetentem oppido collem cædere institit. Longum erat, ac pene infinitum opus. Proinde tum inchoatum magis quam perfectum. Cæterum illa ipsa inchoatio, & salubritatis aliquid in præsentia, & spei plurimum in posterum procedente opere incolis fecit.

*Clemens tribus cubicularijs in Dalmatiam,
& Galileã missis, Lauretanæ Domus migrationem explorat. Cap. XXVI.*

*Tradit Lan.
Ann. Laur.
Hier.*

Salubrior iam facta erat Laureti habitatio, cum Lauretanæ Domus historia facta est exploratio. Hieronimus Angelita ciuis Recinetensis domi suæ, vel generis nobilitate, vel integritate vitæ clarus in paucis fuit. Is Virginis Lauretanæ historiam ab se conscriptam Clementi Pontifici per id tempus dicauit. Scribendæ dicandæque Pontifici historiæ causa fuit, quod per eadem ferme tempora, vt ante dictum est, sacrosanctæ Domus è Galilæa in Dalmatiam, inde in Picenum asportatæ narrationem ex Flumensibus Annalibus Dalmatæ quidam ad Recinetensem pertulerant ciuitatem. Itaque siue Angelitanæ historiæ admonitu, seu familiarium rogatu, seu potius cœlestis numinis instinctu, Clementem cupido cœpit, migrationem Sanctæ Domus è Galileã intentius explorandi. Haud erat ignarus id ipsū olim, & à Dalmatis auctore Frangipanio, & à communi Picentium, ciuitatis Recinetensis hortatu, satis esse perspectum. Cæterum præcipuas Pontificis partes esse ducebat, rem tam inuisitatam, ac pene incredibilem

lem denuo per certos homines explorare, vt aliorum iudicijs accederet Pontificalis authoritas, quæ ex mortaliu pectoribus dubitationem omnem, si qua forte resideret, funditus tolleret. Proinde ex omnium familiarium numero tres cubicularios suos delegit expertæ in primis religionis, ac fidei. Hos quid facto opus esset monitos, rebusque necessarijs abunde instructos dimittit, faustum eis iter precatus. Ergo illi Lauretum profecti, sacramque Domum intentiore cura contemplati dimensique, conscendunt nauim Illyricum petituri. Quo vt ventum est, ædiculam Lauretanæ instar satis vetustam, & miraculorum monumentis insignem inueniunt. Porro parieti eius ædiculæ inscriptum, Lauretauam ibi Domum olim fuisse. Hæc accolæ ipsi monstrabant: haud vana ab illis afferri veræ lachrymæ vbertim manantes ex desiderio testabantur. Cōfestim igitur legati mensuris admotis, deprehendunt profusus omnia conuenire. Protinus repetito cursu pergunt in Galilæam, Nazarethum veniunt. Sacræ Domus fundamenta monstrata ab incolis cernunt: quoquo versus metiuntur: congruere cuncta comperiunt. Ex Legatorum numero Ioannes. N. erat Senensis, qui nouo aliquo iudicio veteris miraculi fidem adfirmendam ratus, duos inde attulit lapides ex ijs, quibus vulgo strui ædes Nazarethi solent. Lapis quidem laterem naturali forma imitatur (cuiusmodi ex scetilibus lapidicinis erui alicubi solet) cæterum flauentibus intermicat venis. Reuersus igitur Ioannes cum Collegis ad Aedem Lauretanam, cum eius lapidibus Nazarenos illos lapides confert: reperit geminos eorum, ac simillimos esse. Ea quoque res auxit miraculi fidem, cum talem lapidicinam in Piceno nullam esse constaret: et omnia quamuis vetusta ædificia, ob cæmentorum, taliumque lapidium inopiam, laterculo structa cernerentur. Illi igitur successu admodum læti peruolant Romam. Pontificem expectati adeunt, comperta renuntiant. Ioannes insuper Nazarenos lapides Lauretanis simillimos

profert tanti miraculi testes. res summa & Pontificis laetitia, & aedicularum praecipue sermone celebratur.

Tres viri illustres e mortis faucibus eripiuntur.

Cap. XXVII.

*Tradit Lau.
Ann. Laur.
Riere.
Julian. Ca
farinus a le
tali morbo
ereptus.
Vaino. Tran
siluan. a pre
senti mortis
periculo li
beratus.*

*Ferdinandi
Gonzagae
casus, & D.*

Eodem fere tempore Aedes Lauretana nobilissimis est illustrata miraculis. Iulianus Caesarinus vnus e proceribus Romanae ciuitatis anno huius seculi XXX. Bononiae graui implicitus morbo ad vltimum periculi venerat. Iamque a medicis destitutus adesse sibi sentiebat supremum diem, cum implorato Lauretanae Virginis praesidio, repente conualuit. Eodem anno Valuoda Transilvaniae ab Abrahamo Praetore Regis Turcarum (Bassam ipsi appellant) praelio victus, captusque victoris irati iussu ex altissima rupe agendus erat praecipus. Caterum ille B. Mariae Lauretanae inuocata, seruitium quoque, non tantum, praesens supplicium euasit. Nam forte sermonem de religione cum Bassa ingressus, ad eum offeratum eius animum diuina ope mitigauit, vt Barbarus odio in amorem verso, ipsum cum caeteris Transiluanis captiuis dimitteret gratis. Exstat hodie Laureti tabula ingens egregie picta, auroque exornata, vbi tota res non solum coloribus, sed etiam litteris expressa videtur. Iisdem fere temporibus Ferdinandus Gonzaga adolescens nobilissimus Mantuae praeferoce cursu exercebat equum. Quo vehementius concitato effusus in clathros ferreos vicini templi, B. Mariae Lauretanae opem implorat. mira dictu res. Ex tam graui, periculosoque casu, extemplo sanus vegetusque surrexit. Nec voti parum memor, equestrem statuam argenteam Lauretanae Virgini donum tulit. Ipse autem eiusdem effigiem Virginis ex argento expressam deinceps in omni vita perpetuo suspensam gestauit e collo, siue miraculi monumentum, seu vitae praesidium. nec frustra. in maximis

praelio-

præliorum discriminibus vir bellicosus præsentem semper
 Dei paræ Virginis expertus est opem. Horum igitur mi-
 raculorum fama, & simul explorata Lauretanæ Domus ex
 Galilæa, & Dalmatia translatione mire lætus Pontifex
 enixe instare Nerucio coepit, vt præcipuum sacrosanctæ
 cellæ ornamentum quamprimum absolueret. Sed Deo
 aliter visum, qui affecti tam eximij operis nomen Clemen-
 ti dedit, absoluti decus alteri referuauit. Enimuero in il-
 lo tam insigni opere exstruendo, & ad culmen (quantum
 in ipso fuit) perducendo, adeo præclare Clementis non
 sedulitas modo, sed etiam magnificentia exstitit; vt haud
 immerito eum authorem fama ferat: etiamsi Leonis Pon-
 tificis symbola, insigniaque voluntaria multis locis ope-
 ri inserta cernantur. Clemens quippe nullum omnino
 inseruit sui monumentum, rarum vtrique exemplū, Deoq.
 acceptum adeo, vt eius haud dubie nutu, tam excellen-
 tis operis gloria sequentem fugeret, fugientem sequere-
 tur. Clementem porro ferunt, cum ad tergum operis,
 quod vergit ad ortum solis peruentum esset, consultum à
 Recinensibus, vtrum in ea parte Lauretanam historiam
 inscribi vellet, respondisse, satius videri eam historiam in
 marmore similiter, vt cætera B. Virginis facta calari,
 siue quod historia ipsa per se satis nora ac testata foret, si-
 ue quod calata historia satisfactura esset litteratis pa-
 riter, & idiotisque. Attamen Clementi VIII. Ponti-
 fici Maximo, & Cardinali Gallo Laureti Patrono sum-
 mam Lauretanæ historiæ in marmorea tabula, quæ ca-
 laturæ subiecta erat, inscribi placuit: quo illustrius, cu-
 mulatius esset tantæ, ac tam insolitæ rei ad posteros mo-
 numentum.

F. Lean-

*F. Leandri Alberti de Lauretana Aede testimonium.
Cap. XXVIII.*

*Leandri testi-
mon.*

NOuum per eadem tempora haud ignobilis historici testimonium Lauretanis rebus accessit. Leander Albertus homo ex Domiciana familia doctus æque, ac pius in libro, quem edidit de Descriptione Italiae, Picenum describens perhonorificam facit Aedis Lauretanæ mentionem. Quem nos locum ex Etrusco sermone in Latinum totidem fere verbis conuertimus. Sic igitur scribit. Recanatum inter, & mare Adriaticum, non longe à Musone fluuio cernitur in colle templum S. Mariæ Lauretanæ toto terrarum orbe celeberrimum, quod simul cum oppidò validis est munitum moenibus. Hic multi sunt incolæ excipientes hospitaliter peregrinos, qui ex omnibus Europæ partibus eo votorum persoluendorum gratia confluunt, cum omnibus anni temporibus; tum maxime vere, & autumno. Equidem de tanto templo dicturus vnde ordiar nescio. Obuersatur quippe animo hinc summa loci religio, illinc eximia templi opulentia. Enimuero me vires deficiunt conantem dicere de sanctissimo illo, religiosissimoque cubiculo, vbi nata, vbi educata est coeli Regina semper Virgo, ac Dei parens Maria, eademque miserorum mortalium apud filium suum patrona. Vbi Archangeli Gabrielis nuncio Dei mater effecta, appellataque est, vbi humanam Deus naturam induit, vt nos ex faucibus inferni Draconis eriperet, cœlestisque regni aditum per tot sæcula, Parentum humani generis vitio, clausum aperiret. Itaque vt dixi, vnde talis loci descriptionem ordiar ignoro. Cæterum vt pijs pariter, curiosisque lectoribus satisfaciam pauca dicam. Principio igitur dubitandum non est, quin hoc illud ipsum sit cubiculum, vbi coeli regina edita in lucem est. Nam præter certissima litterarum

monu-

monumenta, quæ Deiparæ Virginis cubiculum ab Angelis huc translatum esse fidem faciunt, nemo est tam ferus ac ferreus, nemo tot, tantisque flagitijs, ac sceleribus coopertus, qui non in ipso sacræ Domus ingressu, præsentis numinis cœlestis religione perfusus molliri suum sentiat peccatus adeo, ut venerabundus B. Mariæ impleret auxilium, ac per eam à Christo suppliciter oret suorum veniam delictorum. Et sane ad id ipsum humanos animos diuina vis videtur impellere. Ad hæc accedunt prodigia, ac miracula ibi diuinitus edita, beneficiaque tributa ijs, qui ad Dei parentem supplices confugerunt. Id adeo non solum litterarum monumenta testantur; sed etiam aurea, argentea, cerea simulacra, votiua quoque tabellæ, quæ per multas ætates, ac secula congesta visuntur. Longus si velim numerando percensere diuina prodigia, ac dona inibi impertita mortalibus. Quæ quidem tot tantaque sunt, ut incredibilia videri possint ijs, qui non facile adducuntur, ut credant, maternas à Deo preces audiri. Nec vero hæc magnificentius à Leandro dicta, quam

*Lauretana Aedes plurimis, nec vulgaribus colitur
donis. Cap. XXIX.*

NON alias magis ante, pluribus Aedes Lauretana votiuis floruit donis. In Lauretana Domus codicibus reperio, per hæc tempora omnes ferme Piceni populos quotannis solitos in supplicationibus argenteas Beatæ Virgini coronas ferre singulas, binas, ternas, vsque ad septenas, voti aut religionis ergo. Et quia iam satis, superque erat coronarum (coronæ quippe tum censebantur ad septuaginta) commodatas coronas accipiebant à sacræ Domus Custodibus, pro his precium ferebant. A plerisque etiam Piceni castellis oppidis

Argentea
simulacra
Vrbium, &
oppidorum
XVIII.
Firmi argēt.
simulacr.

Pisauri arg.
simulacr.

Ascan. Co
lumn. D.

Cardin. SS.
Quatt. D.
Comitis Rā
goni D.
Io: Francif.
Bossij D.
Pyrrhi Gon
zaga D.
Pardi Pap
pacoda D.
Alex. Cal
cagnini D.
March. Tri
paldæ D.
Magni Ma
gistri Melit.
D.
Vincētij. Al
fani D.

Ludou. Gi
sildi D.
Card. Mon
tini D.

oppidis, vrbibusque argentea ipsorum simulacra in supplicationibus præferbantur. Erant illis temporibus partim vrbium, partim oppidorum, & castellorum ex argento expressa simulacra numero duodeuiginti. inter quæ Firmum pondo librarum pene viginti & specie, & precio eminebat. Cæterum hæc quoque alijs populis, quibus deerat aurificis copia, commodata à custodibus in supplicationis pompa ferebantur, argento pro his reposito. Et vterque mos, vel coronarum, vel illius modi simulacrorum vsque adeo increbuit, vt nunc, vel maxime vigeat. Nec se Piceni finibus ea tenuit consuetudo. Iisdem temporibus Pisauenses argenteam Pisauri imaginem miserunt aefabre factam. Nec ea tempestate ciuitatum, ac populorum magis, quam ciuium ac nobilium virorum pietas extitit. Ascanius Columna inter Romanos proceres genere, atque opibus clarus argenteam B. Rochi effigiem libralem, & sacerdotis solemnia sacra celebrantis amiculum ex textili argenteo, donum Virgini attulit. Cardinalis sanctorum Quatuor Coronatorum caput argenteum pondo ferme quatuor. Comes Rangonus Mutinensis, & Io: Franciscus Bossius Mediolanensis, singuli crus argenteum libræ. Pyrrhus Gonzaga eiusdem materie ac ponderis pedem. Pardus Pappacoda Neapolitanus effigiem suam argenteam ponderis duplo maioris. Alexander Calcagninus imaginem suam ex argento cælatam trilibrem. Marchio Tripaldæ, lychnum argenteum pari ferme pondere. Magnus Rhodiorum Equitum Magister alterum lychnum eadem materia, sed pondere aliquanto maiore. Vincentius Alfanus Perusinus simulacrum suum ex argento expressum librarum xv. Alia porro ab alijs (quorum nomina prodita non sunt) sigilla sexdecim argentea, pondo librarum septem, & septuaginta. Sed longe ante alia omnia huius temporis dona excelsit Ludouici Gisildi ciuis Bononiensis effigies argentea pondo amplius quinquaginta. Sacra etiam subinde supellex aucta. Cardinalis Montinus (qui postea Pontifex factus

Cuius Iulius Tertius est appellatus) sacerdotalem vestem
 egregiam ex auro texrili crispante donum tulit. Cardina-
 lis Palmerius aræ ac sacerdotis ornatum ex veste Attali-
 ca. Dux Traiectensis sacerdotis, ac ministrorum solemnibus
 sacris operantium vestes ex holoserico villoso violaceo
 distinctas auro. Oliuerius Fagnanus Mediolanensis ex eadem
 materia, aræ & sacerdotis ornatum. Marchio item Bitontinus
 ex veste Damascena aureis operibus insignita. Alij quoque
 alias altarium, ac sacerdotum vestes, coronas argenteas,
 calices, aliaque eiusmodi, quæ perfecti longum foret,
 dona Deiparæ Virgini seu portarunt, siue miserunt. Nec
 ea propria virorum laus. Isabellæ Cardonæ Proreginæ
 Neapolitanæ corona aurea libralis, & ipsius effigies
 B. Virgini supplicantis argentea, pondo sesquilibræ,
 & pes libralis item argenteus: ad hæc arcula scite
 facta eiusdem materiæ ponderisque: bini vrceoli aurei
 vnciarum xiv. armillæ itidē aureæ benefactæ donū fuit.
 Marchionissæ Vasti effigies B. Virginis puerum Iesum
 gremio gestantis argentea pondo fere quatuor. Quin etiam
 à Turcis dona missa. Constat anno huius sæculi XXVIII.

Card. Palmerij D.
 Duc. Traiectensis.
 Oliuer. Fagnani D.

March. Bitontini D.

Proreginæ Neapol. D.

March. Vasti D.
 Bassæ Turcarum D.
 Cod. Laur.

Bassam Turcarum (nomen, & causa non proditur)
 argenteam aræ vestem, margaritis insuper adornatam
 Lauretanæ Virgini donum misisse

Clemente Septimo Pontifice Ma-

ximo: vt intelligeremus Lau-

retanam Virginem com-

munem omnium

gentium esse

Patro-

nam, quicumque

eius patrocinio

vti velit.

FINIS LIBRI SECVNDI.

P HORA-